



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



3.2
D. VAL. ALBERTI
EROS LIPSICUS,
Quò
ERIS SCANDICA
SAMUELIS PUFENDORFI

Cum
Convitiis & erroribus suis masculè,
modestè tamen repellitur;

Scriptus est

Ad

ILLUSTREM EXCELLENTISSIMUMQUE

VIRUM

VITUM LUDOVICUM


à **Seckendorff;**

Adjectis prioribus

Apologiis contra eundem Pufendor-
fium, & nonnullis Disputationibus
ejusdem aut similis argumenti.

LIPSIAE,

Sumpt. MAURITII GEORGH WEIDMANNI,
Literis CHRISTIANI SCHOLVINII,
M DC LXXXVII.



VIRORUM

Nobilium Doctissimo,
Doctorum Nobilissimo,


Natalium splendore,
Virtutum ornamentis,

Factorum gloria,
Vere Illustri:

Fide ac pietate Deo,
Prudentia & dexteritate Principibus,
Magnatibus candore ac humanitate,
Bonis omnibus virtute ac doctrina
Acceptissimo, Commendatissimo:

Qvi

Ecclesiam & Rempublicam,
Regionem & Religionem,
Consiliis saluberrimis,
Zelo sapiente Coelum,
Coelesti sapientia Orbem,
Inprimis Saxonicum,
Juvit diutissime;
Totum,
Qvâ literis patet,
Exqvifitissimis Ingeniû
Ac Doctrinæ Monumentis
Latisimè Illustravit:



Divinae veritatis Propugnaculo,
Justitiæ humanæ Oraculo,
Seculi Miraculo,
Posteritatis Exemplo,
Viventium Delicio,
Bonorum omnium Aſylo,
VITO LUDOVICO SECKEN-
DORFIO,
Electori, & Duc. Sax. Conſiliario
Intimo;
Statusque Nobilium in Ducatu
Altenburgico. Directori
Eminentissimo,
Mæcenati Meo
Sacrum.

Lipſ. Cal. Januar.
A. MDCLXXXVII.

VAL. ALBERTI.



PRAEFATIO

AD BENEVOLUM LECTOREM.

Dedit superiori anno fasciculus variarum scriptio-
num, quæ diversis temporibus à Dn. Samuele Pufen-
dorio editæ fuerant prius. In his frequens ego no-
men; dignus etiam habitus Autori, à quo statim in-
præfatione denuò impugnaret. Paria itaque me fa-
cere, pro quæ fasciculo fasciculum novumque in eo responsum red-
dere oportuit; secundum crutum illud, utriusque jam commune:

Quod fecit quisq; sicut opus.

Ovid IV. de
Ponto Eleg.

Cave verò putes, me id studio partium dare unamque toties sen-
tentiam, quia mea est, adversus dissentientem defendere. Absit.
à me tam obstinata & turpis *Philovensis*. Non disiteor quidem,
doctrinam illam, quam propugno, amari à me ac æstimari, nec im-
merito; cum de veritate ejus per conscientiam meam certissime
mihi constet; Scio tamen, eandem in se quoque pretiosissimam,
publico quoque valde proficuum esse; adeo ut speciatim mihi di-
ctum putem, quod generalius elocutus est Philosophus: *Enim-
vero, inquit, præclare nobiscum agatur; si id, quod vel uni soli sit
utile, reperire possimus; sed longè profectò est id pulchrius ac divinius,
quod gentibus & civitatibus usui est;* imò hoc loco toti Reipublicæ
Christianæ. Fallit enim te titulus disputationis nostræ, si de sola
Hypothesi fundamentali in disciplina Juris Naturalis nos dis-
sentire ac litigare, fortè putes. Longè altius latiusque illud est
argumentum, quod hac occasione imprimis apud nos in quæ-
stionem venit. Ego nimirum, qui in doctrina J. N. præsuppo-
sito Biblico utor atque nitor, sentio omnino, jus fasque esse, ut,
ubi ubi possimus, Philosophiam revelationi divinæ, ob summam
hujus certitudinem, examussum conformemus. Contra, Pufen-
dorius, postquam ei, contra manifestum sacræ scripturæ *ver-
yegumid*, placuit, assumere signum de primò homine valde
misero, suamque ei socialitatem applicare; illud Christianissimi pri-
vilegium profus negligit, imò rejicit, inque similibus doctrinis
Philosophicis omnibus doctrina sua suoque exemplo idem per-
mittit aliis haud invitus. Hac verò viâ licentia philosophandi,

Aristot. Nic.
com. I. n.



au-

quanta solet esse, cum est maxima, facile invehitur & non minor
 damno adhibetur. Eandem quidem Cartesius etiam atq; Hobbes-
 sius nostro tempore usurpaverunt, quorum ille Philosophiam
 imprimis Theoreticam, hic Practicam fictionibus ad abundan-
 tiam usq; implevit. Neuter tamen Ecclesie nostrae Civis fuit;
 ideoq; periculum etiam *καταχρηστικῶς* apud Nostram Juventutem
 multo extitit minus. Hæc vero si eodem tramite incedere
 videat eos, qui sacris nostris addicti sunt, neq; monitorem habeat
 obvium, dubium non est, quin è lubrico illo, quo per ætatem &
 sæculi licentiam hæret, in perversum imitandi impetum præcepta
 struitura. Equidem nihil, quod ex malitia faciat, imputo Pufen-
 dorffo; nescio tamen, an è Philosophia Cartesiana, cui
 aperte favet, an ex Hobbesio, quem diligenter legit, an
 aliunde hausit *επιπορευτικῶς* illud novaturientium *ψευδὸς*, li-
 citum esse fingere in Philosophia, tametsi contrarium in sacris
 literis descriptum extet. Virum videntes hoc facere Juvenes,
 eumq; qui opinionibus suis pretium undecumq; facere non
 negligit; idem sibi imò longè plura facillimè indulgebunt. Ego
 quidem non sum ex iis, qui *μεροληψίᾳ* sibi fingentes, vano alio-
 os metu perterrefaciunt; sperans de hominibus, quod Grotius
 alicubi dixit, semper meliora; scio tamen, quantum damni olim
 hodieq; effrenis philosophandi licentia in Ecclesia dederit,
 ideoq; meo quocq; loco, quod per conscientiam & officii ratio-
 nem jubeor, facere, inq; via regia incautam juventutem retinere
καταχρηστικῶς studeo. Causæ non defuerunt Majoribus nostris, Viris
 sapientissimis, ob quas è priscis Gentilium Philosophis certum
 ducem discantibus pariter ac docentibus adjunxerunt, putantes
 nimirum, vagum philosophandi genus, inutile prorsus atq; no-
 xium, optime hoc modo coerceri posse. Hunc limitem moven-
 dum esse, audiens aliquando Vir summus, Josephus Scaliger,
 quam tristes effudit voces in Epistola ad Janum Doufam, Lugduni
 Batavorum anno 1598. scripta! *Rem novam, inquit, qua mihi non
 admirationem tantam, sed etiam dolorem attulit, celare se, non potui, mi
 Doufa. Audio, in Consilio vestro, quod nuper hic habuistis, de admitten-
 da Rami doctrina actum. Atq; utinam de eo actum tantum, non etiam des-
 cretum esset, ut accepimus. Quod si fit, funditus de schola hujus incola-
 mitate,*

L. II. de J. B. &
 P. cap. 4. §. 8.

La. Volum. E-
 pistola. p. 12.



mitate, qua ex omnibus Europe Academiis dignitatem literarum ac nobiliorum scientiarum sustinere nunc videtur, actum est funditus. Nam per Deum immortalem, quid erit aliud, quam Venetorum factiones & Præfectorum inter se committere? Quid esset, si Theologia Pontificia induceretur? Longè verò gravior me movet ac impellit ratio, ad ponendum hodiernæ novaturientium luxuriæ obicem, quem nisi quis injurius in Religionem esse audeat, nemo è Nostris effringere aut laxare possit. Voco hoc genus philosophandi Christianum, cardinemque ejus in eò constituo, ut nihil in Philosophia ullo modo fingatur, quod sacræ scripturæ sit adversum; nihil in illa quocumque prætextu in dubium vocetur, quod per hanc adstruatur aut narretur; quem in modum etiam eos, qui Christo nomen dederunt, se gerere omnino decet. Deo quoque gratias ago quotidie, quod hunc animum indiderit mihi ferè ante sæculi quadrantem, ex quo inter publicos hujus Academiæ Doctores receptus fui. Idem obfirmavit mihi cum indies magis magisque præstabit, ut immorari huic studio imò immorari ne desistam, & quantum in me est, efficiam, ne Ecclesiæ nostræ per nostram Philosophiam ulla vis inferatur, multum subsidii conferatur. Hujus conatus mei aliqua, ceu vides, specimina hic subjeci Apologiis meis contra Pufendorfium, eâ tamen temperie, ut cum intra limites Philosophiæ Practicæ nos disceptemus, ex ea etiam sola jam illa elegerim, tametsi non defuissent, quæ è Logica, Physica Metaphysica & Pnevumatica, typis seorsim, Academicarum dissertationum in morem, jam impressa, inspergere aut subnectere potuissim. Tuarum erit partium, Lector Benevole, sine ira & studio, quod Christiani, quid? uniuscujusque boni Viri est officium, de hoc affectu meo in Christianam Philosophiam atque instituto prudenter judicare, bonoque publico favere. B. V. Lipsiæ Calendis

Januar. Ao. 1687.

D. VAL. ALBERTI,
Acad. h. t. Rector.

Sylla:



Syllabus Contentorum,

- I. Respons. ad Erid. Scandicam Generalis, & Specialis contra P Stum in Praefatione p.1. seqq.
- II. Specimen Vindiciar, adversus Specim. Controversiar. Pufendorfi 33.
- III. Nota in Spicileg. controversiar. Pufend. cap. 2. 63.
- IV. Parenesis ad Studios. Juvent. desumpto argumento è Spicileg. controu. Pufendorfi 126.
- V. Eridis Scand. Exceptiones contra Defensionem Alberti adversus Dissertationem Rondini, inserta defensione ac subjecta Responsione 174.
- VI. Dissertatio de Philosophia Christiana Existentiã & essentia in genere, probans Thesin 199.
- VII. Programma de eodem argumento, refellens Antithesin 265.
- VIII. Delineatio S. B. humani; secundum hypotheses Philosophia Christiana 222.
- IX. Disputatio de electione minoris mali præ majori; secundum præcepta Christi, Philosophia 240.
- X. Quaestio: Quid Reipublica in casu necessitatis liceat? ex iisdem hypothesibus decisa 254.
- XI. Disquisitio de primaria Axiomatum J. N. divisione in Philosophia Christiana 271.
- XII. Dissertatio de Juris N. præ positivo, rigore, verisque ejus causis in Philosoph. Christiana 286.

INDEX



INDEX

Rerum Notabiliorum,

A.

A cademia, aula pedanteria apud Pufendorf. Pag. 5. 95.	
Affectuum notitia perfectior in Philosophia Christiana	146. seq.
na	
Imperfectior extra eam	ibid.
Anima humana immaterialitas & immortalitas certa in	
Philos. Chr.	142
Minus extra eam	ibid.
Modus essendi in corpore, perspicuus in	
Philos. Chr.	142
Minus extra eam	ibid.
Origo per traducem, clara in Phil Chr.	142
Minus extra eam	ibid.
Assertionum & preceptorum de re practica discrimen	66. seq.

B.

Beaufort, Philosophia Christiana Doctior	213
Bæclerus celebratus	5. II
	Bo-
) () (

I N D E X

Borellius, I. Alph. laudatus 215

C.

Cartesii error de dominio in affectus 146. seq.
Sententia de tribus cælis 196
Christiani contra Christianos sub Turca licite remigantes 262
Crellii, Cancell. Dresd. Scomma in Philosophos 6
Crellii, Sociniani, Ethica Christiana 213

E.

Eris Scandica detecta 2
Rejerta 3
Eros Lipsicus declaratus *ibid.*

F.

Ferdin. II. diplomata de Tutoribus Papiisticis 251
Fragmenta ἀντιεργα in Philosoph. Christ. intolerabilia 206
Fontium origo e mari, liquida in Philos. Christ. 140. 197
Minus extra eam *ibid.*
Fromondus, L. Philosophie Christiane de An. Scriptor 212

G.

Grotii, H. Laws 5.39.101.155.
Sociniani sinus de Statu Integritatis 17
Affectatus titulus JCi in Libb. de J. B. & P. 5
He-

H.

<i>Heterodoxi & orthodoxi titulus proprius Christianorum</i>	152
<i>primario Theologorum</i>	<i>ibid.</i>
<i>Secundario Philosophor. Christ. juxta Albert.</i>	<i>ibid. seq.</i>
<i>Non, secundum Pufend.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Hofmanni pugna inter Philosoph. & Theol. nullius momenti</i>	
<i>juxta Pufend.</i>	41
<i>magni. secundum Albert.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Homo. finis hujus Universi, clare secundum Philosoph. Christ.</i>	141. seq.
<i>obscure, extra eam</i>	<i>ibid.</i>
I.	
<i>Imago DEI sensu Ecclesiastico, impugnata à Pufend.</i>	158
<i>defensa per Alb.</i>	159
<i>Juris N. dependentia à Deo qualis juxta Pufend.</i>	14. 67.
<i>secundum Alb.</i>	<i>ibid.</i>
<i>dignitas, conspicua in methodo Alb.</i>	34. 171
<i>obscurata per methodum Pufend.</i>	<i>ibid.</i>
<i>disciplina Christiana, impugnata per Pufend.</i>	16.
<i>defensa per Alb.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Juri Civili consona.</i>	19.
<i>notitia, diversa ab ipso J.N secundum Alb.</i>	45. 155
<i>Non, secundum Pufend.</i>	<i>ibid.</i>
<i>perfectior in Philosophia Christ. ob</i>	
<i>notitiam status integri, secundum Alb.</i>	45. 155.
<i>Non, juxta Pufend.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Objectum principale actiones internæ,</i>	
<i>)2()2(</i>	<i>secun-</i>

I N D E X

<i>secundum Alb.</i>	14.35.171.
<i>Externa, juxta Pufend.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Origo querenda in antiquissimo tempore</i>	
<i>secundum Alb.</i>	103.
<i>Non, juxta Pufend.</i>	113.
<i>in perfectissimo statu, secundum Alb.</i>	163.
<i>Non, juxta Pufend.</i>	<i>ibid.</i>
<i>praecepta negativa in statu Integr. impugnata</i>	
<i>per Pufend.</i>	60. seq.
<i>defensa per Alb.</i>	<i>ibid.</i>
<i>praecepta normaliter à statu Integr. dependentia,</i>	58.
<i>defensa per Alb.</i>	seq. 166. seqq. 273. seqq.
<i>Impugnata à Pufend.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Principium cognoscendi in Philos. Christ.</i>	
<i>non petendum ab actionibus Christi communibus</i>	163.
<i>petendum à statu Integr. secundum Alb.</i>	161. seq.
<i>Non, juxta Pufend.</i>	<i>ibid.</i>
<i>petendum à fide bonitatis misero, juxta Pufend.</i>	13. 172.
<i>Non, secundum Alb.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Regule, ab Alb. formatae</i>	194.
<i>distinctae ab ipsis axiom. J. N.</i>	<i>ibid.</i> 275.
<i>Rigor</i>	289. seqq.
L.	
<i>Lactantius vindicatus</i>	211.
<i>Legum notitia, perfectior in Politica Christ.</i>	148.
<i>imperfectior extra eam</i>	<i>ibid.</i>
<i>Lessius, Leonh. castigatus</i>	237. seq.
<i>Logica arithmetica, pedanticismus apud Pufend.</i>	5.
<i>Lunatici homines, male rejecti contra Philos. Christ.</i>	141.
	<i>Re-</i>

I N D E X

	<i>Bene per eam</i>	<i>ibid.</i>
<i>Lupanaria nullo modo permittenda</i>		269
M.		
<i>Magnanimitas, corrupta ab Aristotele</i>		147
<i>restituta per Christ. Philos.</i>		<i>ibid.</i>
<i>Mali variae divisiones</i>		243. §99
<i>Manzium, C. Philosophiae Christianae Studioffimus</i>		212
<i>Mare, meteorice generatum, secundum Aristot.</i>		140
<i>creatum, juxta Philos. Christ.</i>		<i>ibid.</i>
<i>Materiae origo, Philosophiae Christianae nota</i>		139
<i>gentili ignorata</i>		140
<i>Matrimonium inter fratres & sorores contra J.N.</i>		
<i>secundarium, secundum Alb.</i>		61
<i>contra positivum, juxta Pufend.</i>		<i>ibid.</i>
<i>Metaphysica Aristotelis</i>		142
<i>Scholasticorum</i>		<i>ibid.</i>
<i>Scopitice descripta à Pufend.</i>		5
<i>lecta & dilecta H. Grotio</i>		<i>ibid.</i>
<i>Methodus Elenctica, improbata à Pufend.</i>		P. 43. seq.
<i>probata ab Alb.</i>		<i>ibid.</i>
<i>probandi ex ficta hypothesis, juxta Scholasticos</i>		119
<i>secundum Novatores</i>		<i>ibid.</i>
<i>Monzambano correctus</i>		197
N.		
<i>Noricus, I. E. laudatus</i>		8
P.		
<i>Paterni imperii origo, secundum Alb.</i>		14
<i>juxta Hobbes, & Pufend.</i>		13
<i>Philosophiae essentia pura</i>		150
<i>existentia impura, secundum Alb.</i>		42. 151
<i>)3()3(</i>		Non,

INDEX

	<i>ibid.</i> 136 137 24. 205 89. 138 217 117. seqq. 199. 217. seqq.
Non, juxta Pufend. modus agendi subsidia externa Philosophia Christiana descripta impugnata à Pufend. à Strimesio defensa per Alb.	
Philosophia Christ. principium & descriptum & defensum ab Alb. impugnatum per Pufend. hostes duorum generum (a) Servi Aristotelis (b) Studiosi licentia Primarium præceptum	46. 154 <i>ibid.</i> 149 <i>ibid.</i> 206
Politica Christiana Apostoli Pauli Prærogativa sententiæ Alb. de J. N. Principii notitia exacta in Philos. Christ. Minus extracam	148 305 145. 209 <i>ibid.</i>
Principia congenita practico-moralia deducenda è statu Integr. Non, Theoretica Nec Medico-Practica	36 164. seqq. <i>ibid.</i> 53. 58
Propositiones inusitatae descriptae sunt Logicae Christ. incrementum, secundum Alb.	51 138. seq. 182. 195. seq. <i>ibid.</i>
Non, juxta Pufend. Protoplastorum lapsus in varia peccata possibilis, Secundum Alb. Non, juxta Pufend.	<i>ibid.</i> 61. 102 <i>ibid.</i> Pu.

I N D E X

<i>Pufendorfius, S. olim Professor Heidelb. & Lond.</i>	4
<i>Magister Jenensis</i>	5
<i>Studioſus Lipſienſis</i>	6
<i>Commilito Alberti & Collega, ibid.</i>	
<i>Philosophia Christiana hostis</i>	50. 89
<i>Cartesiana fautor</i>	196
<i>Sententia ejus de J. N. verè expressa</i>	
<i>13. seq.</i>	
<i>hypothesis de primo homine misero</i>	
<i>192. seq.</i>	

S.

<i>Schertzerus, J. A. allegatus & vindicatus</i>	p. 6. 7.
<i>Scientiarum subordinatio quoad esse & bene esse,</i>	
<i>declarata</i>	54. 154
<i>impugnata per Pufend.</i>	93
<i>defensa ab Alb.</i>	54
<i>Scripturae S. abusus in Philosoph. gentil.</i>	135
<i>usus in Philosoph. Christ.</i>	24. 136
<i>Seckendof, Lib. de Statu Christianismi celebratus</i>	7
<i>defensus</i>	11. seqq.
<i>Seligmannus, G. F. laudatus</i>	124
<i>Simplicis Entis cognitio perfectior in Philos. Chr.</i>	145
<i>imperfectior extra eam</i>	ibid.
<i>Sociniani non-Christiani</i>	17
<i>Status integrit. Status Naturalis.</i>	121
<i>Subſtentiæ diſcrimen reale ab eſſentiâ</i>	
<i>notum in Philos. Christ.</i>	144. seq. 209
<i>Extra eam ignotum</i>	ibid.
	Sum-

I N D E X

Summum Bonum, in Theologia 228
in Philosophia Christiana *ibid. seqq.*

T.


Theologia moralis & disciplina Christiana de J.N.
discrimen 53. seq. 163
Theologia naturalis Christ. prerogativa 143
titulus impugnatus à Pufend. 93
defensus per Alb. 144

Z.

Zentgravius J. Joach. laudatus 174
Zieplerus, C. celebratus, 19.



I. Resp.



I.

RESPONSIO

Ad

ERIDEM SCANDICAM GENERALIS,
ET SPECIALIS

Contra Postscriptum in Præfatione.



Ortissimæ Septentrionis gentes, Dani atq̃ Sveci, ar-
nis prius, nunc animis coëuntes contendentesq̃,
pace fruebantur altissimâ, lætissimâq̃ve ejus argu-
menta certatim dabant. In Aulis proxima foecun-
daq̃ve affinitate conjunctis Regia Soboles, in tem-
plis atq̃ve Scholis eadem doctrina, in oppidis communia flo-
rentissimâq̃ terrâ atq̃ mari commercia, de summa concordia
publicè privatimq̃ve testabantur. Sola Scania minari, si non
machinari quid videbatur. Hic enim ex improvîso Classicum
canebatur, hominibusq̃ve quiescentibus

*Erinnys,**Invisum Numen, Terras Cælumq̃ve levabat.*

Res mira; cum *Scania* ab incolis *Schone* dicta, quod *amanissima* sit
regio; provincia sui nominis, ubi

A

Virgil. L. VII.
Æneid.Fournier Geo-
graph. p. 54.

Non

Virgil. ibid.

*Non specus horrendum & savi spiracula Dis
Monstrantur, nec rupto ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces, quæ condita Erinmys.*

Fourm. ibid.

Nisi verò, quod de Scandia veterum jam pridem dictum fuit, vagina gentium est hæc pars ejus nobilissima, *frugibus non tantum opulenta divesq; mercibus, sed & viris armata regio.* Ast quid opus est verbis? Adest enim Eris Scandica ipsa, testimonium rei luculentissimum certissimumqve. Ex orco nimirum reduxit eam nuper Samuel Pufendorfius, rixosis illis, rixosis superioris anno collegit, & Francofurti ad Mœnum typis denuo imprimi curavit, chartis suis nomen Eridis Scandicæ inauspicato imponens, suoq; ad instar foricis indicio factus, cujus esset Eris, quique Pomum Ejus projecisset hætenus, idqve quiescere necdum aut latere pateretur. Aptè verò cum hoc factum sit, multò tamen convenientius plures unius loco Eridis Erinnyes posite fuissent. Sic enim æqvasset Titulus librum suum plenè, planeqve expressisset. Videas enim hic non Pufendorfi tantum, sed & Dunzum & Rolletum & Rondinum ardentibus facibus prodire, suamqve unumquemque Deam referre. Nisi verò unius Eridis quatuor hæc sunt nomina: Aut Dunzus, Rolletus & Rondinus angvium saltem loco sunt, quos una crinibus implicitos Eriany habet,

corvosq; sinistra

Virgil. L. VI.
Æneid.

Intorquet.


Varietas nimirum delectat; cumqve per non paucos annos diffuderit se unius Autoris species in diversas hominum nominumqve figuras; nova metamorphosis subsecuta est, quæ illæ iterum coeunt, uniusqve habitu Eridis involvuntur. Saltus ingens, qui ab hominibus ad Furias, ex orbe in orcum factus est, ubi una

Tot Erinmys sibilat bydæis,

Id. L. VII.

Tantaque se facies aperis!

Pufendorfi enim ipsum, ut scapham vocem scapham, & ficum ficum, Autorem esse eorum, quæ sub nomine Dunzi, Rolleti & Rondini in hac ejus Eride continentur, nemo facile dubitabit, qui ad stylum non tantum aliaqve non obscura convenientiæ indicia paululum attenderit; sed & Julium Rondinum
homi-



hominem non *vergáyon*, qualem Aristoteles dicit verè bonum esse, sed versatilem valde variisque figuris recipiendis perquam aptum, præfationi Eridis Scandicæ nomen suum in ipso limine mutuassee, observaverit. Hujus tamen Autor absque omni dubio nullus alius est quam ipse Pufendorfus; non incerto reliquorum glaucomatum indicio atque documento. *Ingloriam nimirum atque indecorum existimat*, suo sub nomine cum hominibus rixosis alterius, quam necessum fuit, contentions ferram recipere; Sed assumpto Rondini schemate id gloriosum sibi atque decorum fore arbitratur. Quasi verò Rondini larva magis quam Monzambani spectantes posset fallere; aut mutato nomine, quicquid libeat, liceret. Ego verò quid faciam; & quo modo Lipsiæ contra Eridem Scandicam, me tuebor? Verus est dictum irati & armati Æneæ:

Init. præfat. Erid.

*Inflammas & in arma feror, quo tristis Erinys,
Quo fremitus vocat.*

Virgil. L. II.
Æneid.

Ab sit autem, ut meum hoc faciam, eoque me patiar abduci, quo Scandica me rapit Eris aut impellit. Alius hanc habeat; meus sit maneatque Eros, isque Christianus, quem cum Lipsiæ foream exerceamque, Lipsicum non incommode dico. Nec hodie demum studio ejus aut societate delector; dudum est quod familiarissime cum ipso, contra ipsos etiam Adversarios meos, ago, & nisi amicè, contra neminem pugno. Testes mihi erunt, quot quot in hac togatorum arena spectatores præliorum meorum, aut ipsi etiam Antagonistæ mei fuerunt, ne illis quidem scurris exceptis, qui è Pontificiis me aliquoties aggressi sunt, & contra quos jure talionis uti & par pari referre fortè licuisset, modo libuisset. Enim verò cum naturam tum studio abhorreo maxime moperè ab eo scribendi genere, quod in maledictis victoriam gloriamque quarit aut ponit; quo ipso Christianismi non tantum sed & Juris naturalis conformem me præceptis gero, quæ nisi placidas pro veritate pugnas non admittunt. Gratulor autem mihi valde inquit siu gaudeo merito, quod videam, hanc Deo bonisque omnibus gratam acceptamque Methodum cum hypothesis mea fundamentali in disciplina Juris Naturalis omnino convenire, meque sic eam exemplo meo, statui integro scriben-

do conformiter, docere atque comprobare. Longè alia est methodus illa Eristica, quæ unice Pufendorfius delectatur, plena, ut mollissimè dicam, aculeorum, quibus nec falsitas eyelitur, nec veritas firmatur, sed innocentia proximi pungitur atque vulneratur. Ita quidem hypothesis ejus de socialitate, quam in doctrina Juris Naturalis loco fundamenti ponit, est comparata, ut modò ea recte uteretur, facillè intra limites modestiæ continere ipsum posset. Quemadmodum enim socialitas illa, quam Jus Naturæ intendit, ad omnes homines extenditur: Ita non potest non in illam peccare graviter, quicumque non cum omni homine humaniter agit, eoque societatem, quam cum ipso colere debet, consulto impedit, aut violenter solvit. Abusus verò, quem ab hac hypothesi vix ac ne vix quidem abesse posse, jam olim notavi, hic in Autorem ejus manifestè cadit ipsum. Haud aliter enim se gerit, ac si socialitati se studuisse putet satis, modo ejus societatis, cujus pars hodiè est, rationem habeat; externos, sive inferiores sint, sive pares aut superiores dignitate, ita excipit, ita prosequitur animo calamoque, ac si socialitas, quæ à Jure Naturæ imperatur, ad eos non pertineret. Ita Græcis olim Barbari, qui externi. Imo:

In Præf. part. 1.
Compend. p. 8.

βαρβάρων δ' Ἑλλήνας εἰκός

ἄρχων, ἀλλ' ἢ βαρβάρους,

μήτερ, Ἑλλήνων. Τὸ μὲν γὰρ δῦλον, οἱ δ' εἰλύθηροι.

Barbaris imperare Græcos Pat,

O Mater, non Barbaros Græcis.

Illi namque Servi, hi liberi.

Euripid. in
Aulidæ.

Sic Iphigenia ad Clytæmnestram: Sufficiat autem hæc generalis ratio; cum in specialem, quam facillè quis *Φιλαντίας, ἀνθαδίας Φιλονεκτίας*, aut alios affectus Juri Naturæ adversos vocare posset, inquirere nobis non libeat. Factum verò tam clarum est tamque certum, ut in dubium ne ab ipso quidem Autore vocari possit. Meminerit spero se olim Scholasticum fuisse, inque celeberrimis duabus Academiis egisse Professore; quarum dignitatem, nisi velit ingratis haberi, agnoscat ipse; cumque illa oppidò eximia sit, non maiorem aliis hujusmodi bonarum mentium officinis tribuet. At enim verò postquam Aulicus

eus factus est, Academias pro *Aulis pedanteria* habet; aperto in Scholas odio ac convicio, quarum pars ante tempus non adeo longum, nec, forenfi stylo, immemoriale fuerat diu. Longè honorificentius Plinius Junior, tametsi Scholasticus fuisset nunquam, summisque in Domina Orbis urbe officiis fungeretur, de Scholis earumque Doctoribus sentit: *Annum (ita inquit de Isæo) sexagesimum excessit, & adhuc Scholasticus tantum est: quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius aut melius. Nos enim qui in foro verique litibus terimur, multum malitia, quamvis volumus, addiscimus. Schola & Auditorium ut sita causa, ita res inermis, innoxia est, nec minus felix.* Hæc verò, de quo ibi agit, è Philosophis erat, ejus quidem generis, cujus est, non tantum verba facere ornatè, sed & disputare acriter. Hinc crebra ejus *ἐν δὴ μὴ ματα*, *Syllogismi circumscripti & effecti.* Logicè verò dicere, Pufendorfio est pedantericè dicere. Ut taceam, quaminiqvis sit in *Metaphysicam, Scenissimam illam ac Potentissimam Reginam & fidem barbarici tutelare numen*; seu calumniatur eam rebellis ex cliente ac subdito imprudenter factus. Nā his literis ipse incubuit, certe incumbere debuit sedulo atque diligenter, antequam Magister bonarum artium atque Philosophiæ in Academia Jenensi renunciareretur. Grotius ipse, primus disciplinæ nostræ Doctor, cum de J. B. & Paris esset scripturus, *serò quidem, serò tamen & hujus ipsius operis causa Scholasticas attigit. Cujus reatum in eo judicium eluxit, quod arduè argumenti doctrinam, via & arte, partitè & subtiliter componi non posse vidit, absque ope & adminiculo sublimis sapientia, quam Metaphysicam vocant. Itaque hanc ex Scholasticis petitam quodammodo ostentat, ubi occasio offertur.* Sic de affectu Grotii in *Metaphysicam* ejusque studio ac usu ille Commentatorum, qui præcipuè (ipso iudice Pufendorfio,) judicium attulit & doctrinam Grotii in opere dignam, B. Boeclerus. Enimverò magnus ille Philosophus J. O. quam Philosophi titulo, quanquam de argumento Philosophiæ hinc moralis, maximam partem Philosophorum in morem ageret, uti malebat; quam etiam gloriæ sive accessionem sive affectionem Philosophi eo minus Summo Viro inviderunt, quo magis à contemtu eorum abstinuit, suamque unicuique laudem tribuit aut reliquit. Sed Grotio posthabito Pufendorfius imitari

In specileg.
Controv. c. 2.
Erid. p. 367.
Acad

Ei: fol. II. 3.

Ibid.

In spi ileg.
Controv. c. 2.
Erid. pag. 365.
alibique.

In proem. spi-
ileg. Controv.
Erid p. 238. sec.

Comment. in
H. G. p. 22.
In specim.
Controv. c. 2.
Erid. Scand.
pag. 265.

In Prolegom.
Libb. de J. B. &
P. p. 6.

Cællij

tari voluit Crellium, qui postquam è Magistro Lipsiensi factus esset Cancellarius Electoralis Saxonicus, Philosophos eo elationi supercilio despexit, quo abjectiori nomine Notiones secundas eos appellavit. Utinam verò hic primæ notionis & dignationis Aulicus è secundis Notionibus Logicis secundam semper figuram retinuisset! Postquam autem hunc affectum in disciplinas ipsas induit exeruitque Pufendorfius, haud alio me, minimum earum Doctorem, excipere potuit aut prosequi. Pares olim eram studiis & fortuna. Uterque in hac Academia simul bonis literis operam dabamus; animi quærentes divitiâs, cum fortuna nobis suas denegasset. Vivebamus studiis & ingenio, pascentes eorum animos doctrinâ liberali, qui liberaliter victum corporibus nostris præbebant. Hæc verò studiorum vincula, cum & aliis communia nobiscum essent, nos speciatim in Collegio Anthologico ita sociabamur, ut flores colligeremus sine spinis, convenientes singulis hebdomadibus familiariter, doctosque placidè ac utiliter sermones instituentes. O quam jucunda mihi adhuc est recordatio charissimorum nominum, Bebelii, Reislandi, Stegeri, Neuschelleri, aliorumque, quos cælum, quo dignissimi erant, jam recepit, interque ipsius Paradisi flores collocavit! O quam gaudeo, si quem inter viventes, ipsius Pufendorffii exemplo, post flores olim emissos, fructus jam ferre ac decerpere video! Ipse quidem *veteris etiam amicitia* commemorat semel, quo affectu nescio; effectu sanè nullo. Nam & cum faceret hoc, aculeis me petiit gravissimis; & jam, postquam eos modestissimè rejeci, novis me pungere confodereque nititur maximopere, tanquam *Autorem inficere ac misella defensionis, naniarum, crambes bis cocta, rancidis quibusdam distinctiunculis & pædantico planè pipere condita, commentorum atque vanitasum.* Quid mirum? Mortuis enim cum fidem datam non omnino servet; quâ æquitate utetur adversus viventes? Scherzero, dum viveret, promissum fuerat ab ipso, fore, ut, modo in *Systemate*, quod vocat, *definitionum* verba illa deterentur, quæ bilem ipsi moverant olim, imposterum quoque nomini ejus atque honori parceretur. Annuit desiderio Vir Optimus, suamque super Indifferentissimo qualicunque ejus morali & statu purorum naturalium censuram exesse jussit. Quid? laudavit & allegavit alias ejus

apicileg. Com-
prov. cap. 2.
Erid. p. 357.

In præfat.
Erid.

Scherzero
labi fide
videtur p. 7

ejus sententias ex abundantia semel iterumque. Num paria fecit promissor in chartis nuper impressis? Minimè. Ut videretur id fecisse, Castratorem quidem horum fœtuum suorum egit, maculas nimirum delens extantiores, quas B. Scherzero inturere ausus fuerat; Epistolæ tamen, quæ non-minimam purgationis vim experta fuit, priorem titulum, expresso Scherzeri nomine reliquit, alibiq; notas (***) patratæ castrationis in textum intulit, ut qui legeret hæc aut videret, utroque modo de hiatu admoneretur, eumq; ex authentici prioribus chartis suppleret. Quid? quod aperte non nulli B. Virum feriat, monens, ut agnosceret, quam turpe ipsi sit futurum, si ab istorum partibus stare videretur, qui ruditatem & malitiam suam tam impudenter apricentur. Quo sublimior autem est Collegii illius dignitas, cui *erubescendum errorem* tribuit, minatus adhuc graviora, nisi dignitati ejus parceret; eò magis in Jus Naturæ doctor ejus hic impingit. *Grave* illud vocat, sensu ambiguo, sed quo fine? ut nimirum intelligas, hic sermonem esse non de aliò, quam quod jam olim hoc titulo designaverat, ubi manifestam ipsi tribuere *injustitiam* non dubitavit. An hæc, quæso, est reverentia illa, quam Jus Naturæ erga superiores, sive dignitate tales sint, sive potestate, à nobis omninò exigit? An hæc sunt illæ gratiæ, quæ Patribus Patriæ ab ejus liberis, quos inter est Pufendorfius, debentur pro illis beneficiis, quibus Ecclesiam pariter atq; Rempublicam devinciunt sibi atq; obstringunt? Sed quomodo censuram publicam tanti Collegii æquo animo ferret ille, qui judicium privatum super sententia sua, quanquam honorificum atq; æquum, audire prorsus dedignatur. Miserat nimirum Illustris atq; Excellentissimus Seckendorffius, Heros de toga immortaliter meritis, in literas lucemq; publicam meditationes suas de Statu Christianismi, eruditionis, judicii atq; pietatis laude omnibus bonis commendatissimas. Atverò soli Pufendorffio displicuit, methodum suam, quam in disciplina Juris Naturalis adhibuit, postpositam esse meæ, quam in eadem usurpavi; tametsi expressis verbis testatus esset Vir Summus, *se illam in se rejicere nolle, nec eandem cum Hobbesiana judicare.* Hac moderatione nihil quicquam mitigatus Pufendorffius, indignari

System. Loc.
IX, §. 2. & s.

Erid. pag 77.

Ibid. p. 199.

Erid. p. 79.

In præfat. Erid.
Ibid.

In Epist. ad
Scherz. Erid.
p 78.

BOIX,

mox & vindicias meditari cœpit. Nec mora: *Erii* quidem jam ex orco protracta & in *prefatione* contra me armata inq̄ arenam producta erat; in Appendice tamen, quam *Postscriptum* vocat, illustrem Seckendorffium oppugnari posse, licitum non minus sibi; quam commodum fore putavit. Parum enim ipsi est, fluctus in pulvere Scholastico contra me aliosq̄ meosimiles movere, nisi & Aulas, Aulicus ipse, invaderet & ob denegatum sibi calculum ipsos *Proceres* non tam ad rationes vocaret, quam castigaret. Laudaverat aliquando per Epistolam B. Noricus, Aulæ Martisburgensis, dum videret, prælustre decus atq̄ ornamentum, Compendium meum Juris Naturalis; quod tam obliquis oculis more suo adspexit Pufendorffius, ut in mortuum etiã spicula sua intorquere non erubuerit. Ad hunc enim Optimam Virum diriguntur aculei illi, quibus judicium ejus super Compendio meo petit, nescire se scribens, an *illud ultra certium lapidem*, Martisburgi nimirum scriptum, sit *valiturum*; Deinde quod *Compendium meum non sit exosculaturus*, quod se fecisse Vir Beatissimus testatus fuerat; quem tandem *huic exosculando immortuum*, vivens mortuum, contra Jus Naturæ pungit. Ille tamen ne nomen quidem Pufendorffii in suo de me judicio expresserat; quomodo itaq̄ Generosissimum Seckendorffium me in ponenda Juris naturalis hypothesi nominetenus ipsi præferentem, ferre potuisset? Suprema ejus Lex est: *ἄλλυε, σίγα, Ἄνδι, τὰce*. Sed ad hoc longè majori autoritate opus est; eoq̄ magis, quo justior est atq̄ certior diuturna illa possessio, in qua libertas philosophandi semper fuit. Proferat tabulas suæ exemptionis; demonstret, se falli non posse, quod est, hominem non esse; & mox audiet unumquemq̄ve cum Platone dicentem: *θεῖον ἐξείρω λόγον*, *divinum excipio sermonem*. Dicat, quorum sententia ingenuarum artium Dictator sit creatus; ostendat secures, insigne imperii; & non erit facile, qui gloriam obsequii sibi non sit vindicaturus. Nos interim, quæ in Maximum Virum jaculatus est tela, lubentes excipiemus, locoq̄ve ejus, qui propter nos læcessitus fuit, positus quidem supra calumniam non minus ac invidiam, pro veritate placidè pugnabimus, Pufendorffii prius ictus delineaturi, mox declinaturi. Faxit Deus: Feliciter!

In Epist. part.
2. Compend.
præmissa.

In spicil. con-
trov. c. 2. Erii:
p. 362.
Ibid. p. 379.
Ibid. p. 377.

Lucian.
in *ἄλλυε*.

L. VI. de Rep.

Post-

POSTSCRIPTI PUFENDORFIANI INITIUM.

Ista cum jam in chartam coniecissem, allatus est Viri Illustris, Dn. Viti Ludovici à Seckendorff liber, cui titulum idiomate Teutonico fecit Christenstaat: in quo super controversia inter Pufendorffium & Albertum agitata sic pronunciare ipsi placet; Addit: p. 318. de Jure Naturali, prout id ex verbo DEI solidius docendum, è D. Valentino Alberti, & aliis. Ex iisdem rationibus, inquit, quibus Professionem Moralem in Academicis emendari optarim, ut nempe loco Ethicæ Aristotelicæ Theologia moralis tradatur, id quoq; svaserim, ut Jus publicum universale, sive id naturale, sive Gentium vocitetur, è principis Christianismi deducatur, aut saltem, quæ è lumine rationis promanant, ad ista exigantur & attemperentur; uti D. D. Valentinus Alberti in erudito & ingenioso Compendio Juris Naturalis Orthodoxæ Theologiæ conformato, & Anno 1678. Lipsiæ edito facit. In quo etiam multos egregios Autores & suffragatores habet; quos inter merito honoris gratia nomino Joh. Henricum Bæclerum p. m. cujus excelsa gloria apud eruditum orbem indelebilis erit, & quo ego ante quadraginta Annos Argentorati præceptore usus sum: uti & solide doctum atque eximium Jctum D. Casparem Zieglerum. Equidem Methodum illam, quam Dn. Samuel Pufendorffius à principis revelatis abstrahendo secutus est, in se rejicere nolim, nec ipsius hypothesein eandem cum Hobbesiana judicare, multo minus aculeatis disceptationibus, quæ inde surrexere, me ingerere cupiam: pro modico tamen ingenio meo tantam utilitatem è separatione principiorum naturalium à Jure Divino revelato, seu quod eodem fere recidit, à Decalogo quaritur, perspicere

B

non

non possum, quanta prima fronte videtur. Efficacium ve-
rum sit, quod Ethnicus, qui S. Scripturam pro vera, aut
regula actionum humanarum non habet, ex sola ratione,
& illo lumine, quod saltem apud plerasque & cultissimas na-
tiones agnoscitur, informandus sit: Tali tamen modo in
Christiano Orbe scribere, & fundamentum Juris divini re-
velati postponere aut negligere, non adeo necessarium est:
Turca atque Ethnicus libros nostros Latinos aut alia lingua
conscriptos non legunt. Cum illis efficacius disceptatur
machinis & gladiis; aut si quid cum iisdem super commer-
ciis & similibus negotiis tractetur, principia jam nota sunt;
& horum præcipuum, nempe utilitas mutua, subtili disce-
ptatione haud constat. Hec ubi claudicat aut cessat, fru-
stra ratiocinari instituas. Enimvero è recentibus hypo-
thesibus (contra mentem quidem & scopum Auctorum,) pro-
terva nostra, & verbum DEI quotidie magis fastidians ju-
ventus ansam arripit, ut veteres regulas, quæ apud ipsos
tanquam Christianos merito valere debebant, non amplius
magni aestimet, recentibus autem haud constanter fidem
adhibeat, & non ulterius, quam quatenus expedit. Unde
& hodie plures quam unquam alias, dantur homines, qui
Principum ac Rerumpublicarum destinatis qualibuscun-
que è laxis illis, & per probabilitatem corruptis princi-
piis facile assentiri, coloremque allinere possunt.

§. 1. Hactenus Metaphrastes, candidè satis ac perspicuè.
Nunc idem prodit etiam habitu Censoris; utinam elogiis simi-
libus non indignus. In quod dum inquirimus, faciendum no-
bis est, quod Græcorum proverbio jubemur: *ἄκουε τῶν τετρα-
εἰσῶν ὄτων, Ausculta eum, cui quatuor sunt aures*, aut, hoc loco,
tot in toto discursu capita. Postquam enim breve præmium
præmisit, sententiam suam ante omnia describit, post adversus
meam pugnat, suamque tandem defendit; eâ fermè methodo
quâ Særum usum esse refert Plinius, modò verbis adverbia ejus
junge-

jungere, plenèqve cum ipso dicere possemus: *Proamiamur aptè; narrat apertè; pugnat acriter; colligit fortiter.*

Postscripti Ejusdem Residuum, unà cum Responsione.

§. 2. *Non dubium est, inquit, quin ex hoc judicio Viri inter suos non exigua autoritatis, Alberti non modici Spiritus accesserint.* Resp. *Quomodo de his, nisi me suo metiretur modulo, somnare potuisset? Ejus enim est, qui dissentientem ferre potest neminem, applausu inflari aliorum atqve turgere. Ego verò Plinium meum in elogio Aristonis sui secutus, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refero, rectèqve falli non ex populi sermone mercedem sed ex facto peto. Quamquam non ex populo sed ipsis tam literariæ quàm civilis Reipublicæ Summatibus est, cujus calculus tam inique mihi jam invidetur. Quidni fate- rer itaqve, nihil mihi gratius fuisse, quàm laudari à Viro laudatissimo, qui non tantum inter suos fatente Pufendorffio, non exigua est autoritatis, sed & apud externos summæ jamdudum æstimationis & celebritatis fuit, dignus ferè ante seculi quadrantem habitus Bœcklero, atquanto Viro! qui inter tres è Germanis non ad sui tantum sed omnis avi exemplum & memoriam Illustris viros ex merito ab ipso numeraretur. Hic Optimi Principis praestantissimus Amicus, inquit, inter plures exquisitas meritisq; quæ- sitas laudes, jure Consultum agit non ex eorum genere, qui sapienter aliis reperta quædam pro modulo suarum angustiarum annumerantes, in cætera superbiam pro sapientia habent: sed ex ipsis fontibus omnem illam nobiliorij Philosophia rationem ita probè subductam expensamque promit, sicut ii solent, qui leges condere, aut condentibus suadere, aut nondum inventa constituere aggressi, intelligendi prius quàm decernendi copiam sibi aliisque præbent. Nihil sanctius illo Consilio, in quo non valet juris autoritas, nisi valuerit ante juris ratio. Hac enim DEo debetur, & æterna est: Illa hominum est, divina quidem vice, sed non rectè, nisi ad hujus normam fungentium: Illam imperiti possunt jactare; hanc explicare, & suis momentis conferere, sapientis est. Quam aptè hæc applicari possunt*

L

Proemium.

Epistol. Lxx.

In Museo
p. 66.

Ibid. p. 77.

Bœckler;
laudat seckl;
dorsu

possunt ad præsentem quæstionem: quam splendide inde amplificari! Aliarum enim legum cum è ratione, hic Juris Naturalis fundamentum è revelatione petiit Illustris Seckendorffius. Hinc Encomii etiam hujus mei à tanto Viro profecti præconium, (quod inter calumnias suas, non attentus satis ad id quod ageret, & an è re sua aut mea esset, debuccinavit Pufendorffius,) haud ingratum mihi esse potest.

ἄες τοῖσ' τοῖς με πόλεμοι διακείων,

Me semper insequatur hoc belli genus.

Convicia tamen, quæ adpersit, & falsitates, quas immiscuit, eruere refellereque, mearum nunc erit partium.

§. 3. Hic vero quod agam, in ipso adhuc proœmio invenio. Sed quia in istum, inquit, quantum mihi constat, a partibus non fuit compromissum, ac in Republica literaria lex ea vigeat, ut si quis ultrò circa controversiam quampiam sententiam pronunciare aggrediatur, ubi super sit, qui respondere velit, huic quoque è tribunali descendendum, ac æquo animo ferendum sit, ut judicium suum judicio subjiciatur: igitur nihil iniqui fecisse videbimur, si parem libertatem, quam in alios sibi sumsit Seckendorffius, in ipsum quoque exerceamus. Quid autem est, quod è tribunali Virum summum descendere jubet, quod tamen nunquam occupavit? Utinam Pufendorffius æque ac ipse observaret, dicta sua non esse Prætorum edicta, quibus standum esset aliis aut cadendum! Nihil hic invenies, quod tanquam Arbitr ex compromisso partium definiat, aut tanquam

Vellei. Paterc.
L. II. cap. 14.

Judex pro imperio dicat. Locutus est, exemplo M. Livii Drusi, Viri nobilissimi, eloquentissimi, sanctissimi, convenientissimè conscientia sua; passurus facile, ut suo quisque sensu abundet.

II.
Narratio.

§. 4. Sed è vestibulo in ades ipsas. En imaginem hic in ipso limine, quæ totum argumentum, si fides verbis habenda fuerit, referet. Pufendorffii igitur mens est, Jus universale deducendum esse è principiis luminis rationis cognitæ, quò illud sit ad captum omnium hominum, quamcunque circa sacra persuasionem foveant; quò idem idoneum sit ad dirigendas omnium inter se hominum actiones, nullo religionis discrimine. Resp. Latet anguis in herba. Sententia nimirum ejus vel proponitur nudè, vel unà cum hypethesi sua, cunqve iis, quæ utramque consequuntur. Primum si fiat, videtur ill

Seckendorff
stultus
et dicitur
X

illa quantivis esse pretii. Unde mirum non est, quod hoc etiam loco illud compendium, ad occupandum lectoris animum, speciose adhibuerit. *Posteriori* verò modo quid manticez in tergo sit, aperte apparet. Hypothesis nimirum ejus est ficta, Dei-que verbo prorsus contraria, quasi homo undecunqve primum in mundum sit projectus, derelictus omnino atque miser, nullis undequve subsidiis instructus. Huic fundamento valde lubrico quid solidi superponi potuisset? præsertim si cogitemus, quam simile hoc ejus figmentum sit somnio Epicureorum, quo hominem nudum & inermem, tanquam ex naufragio in hujus vitæ miseriis projectum & expulsam esse, imaginabantur sibi. Nec juvat ipsum, quod ex hac hypothesi sua necessitatem socialitatis atque utilitatem deducat. Nam & hoc præstat Hobbesius, hypothesin suam de statu hominis naturali, in quo bellum sit omnium in omnes, dirigens non incommode ad demonstrandam humanarum societatum necessitatem, quippe quod adversus obvias illas in hoc statu injurias obices haud infirmi esse possint. At enim verò figmentis humanis contra veritatem divinam locus esse non potest. Per hanc enim non de miseria sed felicitate primi hominis in statu verè naturali, qui Juri non minus naturali, quam naturæ humanæ prima initia dedit, certiores evadimus. Accedit, quod nulla hic fictione opus habeamus. Quod si enim assumatur verissima hypothesi de statu integro, eiqve te in moralibus examissimè conformare studeas; nã societatis utilitatem & necessitatem ipsaqve ejus requisita, non minus ac reliquum Juris Naturalis apparatus, longè clarius ac certius quam ex illis Hobbesii aut Pufendorffii fabulis addisces. Exemplum accipe. Inter societates nulla magis est naturalis quam paterna; quæque proinde tota moderamini Juris Naturalis promptè subest. Hujus verò jura quomodo Dumvir illi ex hypothesibus deducunt suis? Hobbesius imperium parentum liberorumque obsequium dicit pendere non à donatione sed condonatione vitæ, quam Parentes liberis, potentiores utpotè imbecillioribus, facile potuissent eripere, modò voluissent. Similiter Pufendorffius hanc vitæ donationem five generationem pro causa impe-

L. II. de I.N. & G. cap. 2. p. 140. Apolog. p. 24. Confer omnino infra, pag. 191. seq.

Apud Lactant. L. de opif. Dei cap. 3.

De civ. cap. 9.

rii paterni non agnoscit; ei tamen ne tribuere videatur nihil, cum id odiosum nimis, vel propter Hobbesii vestigia esset, occasionem hujus juris acqvirendi præbere eam dicit. Hæc verò quò absurdiora sunt, eò clarius de falsitate hypotheseum, quibus inniti debent, apud omnes testantur. Contra, si meam hypothesein assumas, & ad statum integritatis respicias, quàm plana evadunt omnia! *Est Amicitia*, inquit gentilis Philosophus, *liberis erga Parentes & hominibus erga DEOS, tanquam erga bonum atque excellens. Beneficia enim maxima contulere. Nam in causa sunt, ut & sint & emutuantur.* Quam harmoniam inter divinum & paternum imperium, & veras utriusque causas, nullibi certius quàm in Paradiso invenimus, nullibi clarius intelligimus. Ibi DEum non tantum creatorem homines, sed & hominibus, ut alios generarent, benedicientem conspicimus; quæ ratione, quoad causam imperii, parentes assimilavit sibi; quoad obsequium, liberos creaturis; ut cum liceat illis, imperare, ad exemplum DEI, quæ honestati non repugnant; deceat hos in morem creaturarum, promptos esse ad parandum paratosque. Non autem hominum tantum, sed & ipsius Juris Naturalis autor est DEus: quod cum in meâ hypothesei meridiano solis jubare sit clarius, per Pufendorfsianam haud parum obscuratur. Me nimirum si sequaris, non potes non agnoscere, Jus Naturæ, tanquam unam è reliquiis primævæ integritatis, implantatum esse nobis à Deo, qui totum hominem olim condidit integrum. Pufendorfsium audi de socialitate sicque in statu naturali miseria verba facientem; vide ac excute, quæ inde sequuntur, omnia; nihil inde de divina Juris Naturalis origine innosces tibi. Quæ non perspecta, DEum etiam à Jure Naturali omnibus nostris actionibus ultimum finem præfixum esse haud observabis; ad societatem potius, tanquam ad scopum, unicè respicies; & cum huic satisfieri possit, modò actiones externæ non malè se habeant, maxime harum à Jure Naturæ rationem haberi putabis; cum tamen per hoc à Juribus Positivis humanis differre, & cum divinis convenire semper creditum fuerit, quod rectitudinem actionum internarum imprimis requirat; quemadmodum etiam in his honestas primario consistit,


In Præfat.
Lib. de offic.
hom. & Civ.
lib. L. N.

fficit, & ex mea hypothesi, per conformationem cum statu integro, manifestissime requiritur. Imò eò devenies, ut ad Religionem à Jure N. nihil aliud requiri putaveris, quam ut cum sine & usu civitatum congruat. Ut taceam, nihil in sententia Pufendorfi contineri, quod de Juris Naturalis usu Pædagogico, quæ in manuducendo nos à Religione naturali ad revelatam suam naturam præstat, nos moneat aut informet; quem tamen Jus naturæ cum Theologia naturali non tantum communem habet, sed & primo loco ponit. Quibus præmissis Textus Postscripti allegatus supra, plenius ita erit exprimendus: *Pufendorfi igitur mens est, Jus universale deducendum esse à principiis luminari rationis cognitio, assumpta hypothesi de miseria primi hominis facta contra expressum DEI verbum; quo illud sit ad captum omnium hominum, quamcunque circa sacra persuasionem fovent, non obstante, quòd hoc modo notitia de Autore Juris Natura sineq; ultimo Deo ipso, valde obscuretur; quo idem idoneum sit ad dirigendas omnium inter se hominum actiones, nullo religionis discrimine; & quidem externas maxime, cum ad internas Jus Natura non æquè respiciat, tanquam ad socialitatem minus requisitas; in qua illud acquiescat ultimum, imò ad ipsam religionem nihil requirat aliud, quàm ut ad salutem Reipublicæ directæ sit & instituta.*

L. VII. de J. N. &
Gcap. 4. §. 8.

§. 5. *Isthoc autem Jure Universali RITE adornato & stabilito licebit ad specialia progredi, & disquirere, an & quatenus ab hocce abeant, quidvè eidem superaddant tum religio Judaica vetus & Christiana, tum singularum civitatum statuta. Sicuti & methodi lex hoc requirit, ut generali præmittantur, sequantur specialia. Et uti Medicus dicitur incipere, ubi desinit Physicus; ita Theologus moralis & certæ civitatis Theus incipit, ubi Juris universalis doctor desinit.* Resp. *præter notandum, modo vox illa unica, rite, rectè intelligatur atq; applicetur. Nam & nos Jus naturale, tanquam generalius, putamus præmittendum esse reliquis tanquam specialioribus Juribus omnibus; sed rite apud Nos Christianos per præsupposita Biblica adornatum & stabilitum; Haud aliter ac Theologia naturalis præmittitur Revelatæ, tametsi à Philosophis Christianis instructa sit non paucis hypothesibus, quas à sacra scriptura petiit mutuò atqve accepit.*

§. 6. *Quæ omnia si observasset Pufendorfius, non dixisset:*



III.
Objectiones
contra meam
sententiam.

let: Unde intelligi nequit, quid religionis Christiana intersit, ut disciplina sua natura prior eadem religione, nec ei adversa, aut repugnans, sed amice potius conspirans, præter nativam suam indolem alteretur, aut particularis reddatur per assumptas à religione Christiana hypotheses, quas alii non Christiani ignorant aut non agnoscunt, imò ex ipsis Christianis aliqui in dubium revocant, quibus tamen Universalis Jure utiq; opus est. Annon enim religionis Christianæ intersit, habere disciplinam Juris naturalis, innixam hypothesi verâ vereque divinâ, è qua Autor hujus Juris & finis ultimus, DEUS Optimus Maximus, maximè agnoscat, nostraque, quâ obstrictissimi sumus ipsi, obligatio clarissimè intelligatur; à qua etiam actionum maximè internarum bonitas requiratur; plane secundum axiomata Juris naturalis ex illa hypothesi orthodoxè atque perspicuè deducta. Nec per hoc disciplina Juris naturalis definit esse prior natura sua, religione Christiana. Nam disciplinas, quæ natura priores sunt, à Superioribus & dignitate prioribus mutuò quid accipere posse, vel pueri norunt, quando in Rhetorica de metonymia causæ pro effectu, de Synecdoche partis pro toto &c. terminis nimirum Metaphysicis huc translatis, quotidiè audiunt; quod eo magis in disciplina Juris naturalis utile, imò necessarium est, quo certius atque luculentius inde commodum, in realibus, inque ipsa omnino Orthodoxia fluit. Hoc verò modo præter nativam suam indolem non alteratur, nec particularis evadit. Illæ enim assumptæ è religione Christiana hypotheses concernunt non òmni objecti, quod sit, idque Philosophia ubiqve cognoscere perindè potest, tam è divina, quam humana relatione, quanquam ex illa certissimè; Ideoque præter nativam suam indolem non alteratur magis, si ex DEO hic audiat, hominem primum Jus Naturæ habuisse in se examussim; quam si alibi per nautas de Syrtibus, per metalli fossores de terræ mineris &c. certior fiat, Tò δὲ ἴδιον enim, cur ita sit, more suo, quod est, per rationem unicè inquirat atque tradit, eandemque semper indolem retinet. Esto vero, reddatur particularis quoad ea, quæ assumptis illis hypothesibus inquiruntur tantum, & citra has ex congenitis principiis non in-

note.

notescunt; quid tūc inde? Idem enim Theologia quoque naturali accidere notavi modo §. 5. Quem in modum etiam Metaphysica, quæ omnium disciplinarum est universalissima, solis Christianis propriam servat doctrinam de discriminerali inter existentiam & subsistentiam in substantiis creatis singularibus; ex hypothesi de incarnatione Filii Dei deductam. Sufficit, manere principia prima practica omnibus hominibus communia, quæ alii non-Christiani, non minus ac nos, & norunt & agnoscunt, ac utriusque inter se, tam belli quam pacis tempore, loco normæ habere possunt. Quinam verò ex ipsis Christianis sint illi aliqui, qui hypotheses meas hoc loco è religione Christiana desumptas, in dubium revocent, fateor me nescire; cum illi omnes, quotquot nomine Christianorum verè digni sunt, de morali rectitudine primi hominis, quæ sola est mea hypothesi, planè pleneque nobiscum consentiant. *Enimverò etsi præcipua Christianorum factiones in eo consentiant, hominem integrum suis se virtutibus exarmissim imbutum.* Sic ipse dicit: hæc ex seipso audit; quid itaque sibi contradicit ipsi? Nisi verò ad Socinianos respicit, sectam prorsus indignam, cujus dissensus hinc attendatur. Inter Christianos enim locum non merentur, qui Deitatem Christi atque satisfactionem aperte impugnant; Adco ut societatem eorum dubio procul recusaturus etiam sit Pufendorfius, tamen ad eum propius accedant in fingenda primi hominis miseria, in quo tanquam simplice ac propemodum stupido nihil minus quam exemplarem Juris naturalis ideam agnoscunt. Hinc verò quam verum sit, disciplinam Juris naturalis, prout nimirum ad fictam ab ipso hypothesin refertur, religioni Christianæ adversam non esse aut repugnare, sed amice potius conspirare, statim intelligitur. Quid fiat, si quæ supra §. 4. jam adduximus, de autore & fine ultimo juris naturalis, quem unice DEUM esse ex hypothesi Pufendorffii non cognoscet; de usu pædagogico hujus Juris, quem eadem viâ non invenies; reliquaque repetere hinc atque applicare velimus, Sed quid opus est, lucernam accendere in meridie?

§. 7. Ecce verò Lupum, culpam turbatæ aquæ in agnum deri-

C

In Spiteleg.
controv. cap. 2.
§. 8. Eisd. p.
366.




derivantem! *Utg, adeo pro limpidis, inquit, & homogeneis fontibus substituat mixtura Albertina, quae neq, pro Compendio Theologiae moralis haberi potest, neq, vicem sustinere disciplinae Juris universalis, quae Juri civili substerni queat; quem posteriorem usum inter alios potissimum Pufendorfius respexit.* Resp. Triplex hic funiculus; ubi tamen primus & secundus jam à me rupti sunt, & protriti, Quando enim limpidos suos atqve homogeneos fontes jaecat, impuros eos atqve sordidos esse, modò ostendit; deindè ubi de mixtura Albertina queritur, ego jam deduxi, quàm pura maneat indoles totius Philosophiae, tametsi *in* variarum rerum, jam ex humana, jam è divina relatione discat. Tertius itaque tantum superest, duobus quidem sed vilibus & exilibus filis contextus. Quid enim ad me, quod doctrinam meam pro Compendio Theologiae moralis haberi posse negat? cum pro tali nunquam habita fuerit à me ipso, qui jam dudum monui, Theologiam moralem theses ipsas, me verò in disciplina Juris naturalis hypotheses tantum à Sacra Scriptura mutuari, limitesque adeò signatissimos hic ponere. In eo verò mirum in modum placet sibi, quod suam magis quàm meam hypothesin Jctis arridere putat. *Mixtura, inquit, Albertina non potest vicem sustinere disciplinae Juris universalis, quae Juri civili substerni queat; quem posteriorem usum inter alios potissimum Pufendorfius respexit. Ac valdè, ita pergit paulo post, dubito, an Jcti disciplinam suam regulis Albertinis superstruere possint aut velint. Deindè Jus civile Romanum, sic finit tandem p. seq. cujus jam usus in magna parte Orbis Christiani est, ab Ethnicis primo conditum est. - Ad ejusdem solidam cognitionem multum conducit, discrimen nosse, inter ea, quae sunt Juris naturalis seu perpetui, & quae Juris positivi. Ad hunc finem plus conducere hypothesin Pufendorffii, quàm Alberti, nemo inficiabitur, nisi cui invidia mentem planè corruptit. Ne nunc dicam, quanti sit, ope istius disciplinae judicare posse de legibus quarumvis civitatum, sane rationi congruant, an minus, adeoque in imitationem ab aliis trahi, an damnari planè debeant. Ex his quid poscat sibi atqve sumat, & quàm aureos montes polliceatur aliis, apertè vides. Sit verò usus Juris naturalis inter alios non postremus, qui redun-*
dat

In specim.
Vind. cap. 1. §.
17. infra, p. 14.

dat inde in Jus Civile. Sit etiam ex intentione Pufendorffii præcipuus; confido tamen & ego, hypothefin meam atque regulas, quas illi non tam superstruxi, quam sponte inde nafci vidi, Juri civili nullum incommodum, commodum potius haud exiguum parituras esse. Quid enim nobiliffimæ ejus doctrinæ noceat orthodoxia in fundamento, id est, in disciplina Juris naturalis adhibita? Cur non faciat ad multa orthodoxè inde quoque deducenda & dijudicanda? Cur non ad erronea dignoscenda & rejicienda? Quam ob causam hoc studium meum atque institutum (præfiscini!) illius etiam Ampliffimi Ordinis Doctoribus non paucis placuit; quippe quod ex his quoque sint plurimi, quibus nihil prius, nihil antiquius est sana doctrina, quæ noxias novitates fugit, & veritatem lætatur salutarem. Nominarem ex his unum aut alterum, nisi rigidam nimis atque aculeatam Pufendorffii decem pedam metuerem, quâ ad milliarium distantiam metiri audeat Maximorum Virorum judicia, si pro me illa late esse viderit. Sit autem aliquis, cui Pufendorffiana magis quam mea placeant; quid tum inde? Dissidentem enim lubentiffimè fero, & hanc libertatem non minus relinquo aliis quam mihi fumo ipse. Interim *Zieglerus & Noricus*, at quanti Jcti! quorum ille *primam*, hic *secundam Compendii mei partem* testimonio suo illustri publicè condecoravit, potior mihi est sexcentum aliis Themidi nescio an Eridi magis faventibus & ministrantibus Jurium Myftis; Quid? Duo illi singuli sunt instar mihi illorum omnium; quod de Platone Ciceronem olim dixisse meminimus. Fateor quidem, quod Pufendorffius objicit, jus civile Romanum ab Ethnicis primò conditum esse. At enim vero leges, quæ ex eo apud Christianos adhuc valent, late sunt ab Ethnicis, non quatenus fuerunt Ethnici aut Idolorum cultores, sed quatenus unâ nobiscum principiis congenitis præ- Ethnicis primis rectè usi fuerunt; quo ipso, nescientes quid facerent, ad meam quam proximè hypothefin accesserunt, reliquis nimirum status integri, inter quas illa non postremo loco sunt, leges suas aptè fatis nec infeliciter conformantes. Quam ob causam à me Jus Civile R. contra Carolostadium,

Vide supra p. 8.

La Bruto.



Compend. part.
1 cap. 1. p. 65.

Anabaptistas, aliosque jam pridem defensum, laudatum & commendatum fuit. Eò verò magis hoc elogio meo digna erunt Jura municipalia aut leges quarumvis civitatum, quò certius est, eas saltem non omnes à Christianis sancitas esse; adeò ut sanz non tantum rationi, sed & orthodoxiæ de Jure Naturæ non repugnent. Facile verò esset in exempla ire, clareque demonstrare, quantum conducatur mea doctrina Juri humano positivo; nisi actum agerem, idque alibi à me demonstratum non esset. Quapropter satius erit, specimen illud meum luci denuodare, quàm hic præter necessitatem repetendo jam dicta, prolixiorum esse. Vertat eò, qui hæc legit, oculos suos, videbitque, in mea de jure naturali doctrina, & disciplina juris civilis, terminos non uti Myforum ac Phrygum discretos esse; quod de rebus diversissimis trito in sermone proverbio aliàs dicitur.

Infra in disert.
de J. N. rigore
pag. 186.
scilicet usque ad
fin.

§. 8. *Quam subito verò ex hoste fit Consiliarius! Et si cura, inquit, promovendi Christianismi utique eò extendenda est, ut Philosophia moralis è solo rationis lumine deducta è Christianorum Scholis planè proscribatur, (ad quod majori auctoritate quàm Seckendorffii opus est:) inque ejus locum Theologia moralis subrogetur; in diversam planè formam Compendium Alvertinum resingendum fuerit, quod longè infra ambitum Theologiæ moralis subsistit. Resp. Ne Hercules contra duos. At unus Pufendorffius in hac una periodo contra Illustrem Seckendorffium simul, simul contra me insurgit. Sed benè, quod neuter in eo Herculem experiatur. Ubinam enim à laudatissimo Heroë Philosophia moralis è solo rationis lumine deducta è Christianorum Scholis planè proscribatur, aut ut planè proscribatur, svadetur? Ubinam Compendium meum ab eo vel à me ipso pro Theologia morali habetur aut venditur? Adeò ferit aërem, utrumque petiturus, & Auctoritatem Viri Maximi contra jus atque fas examinaturus; ad quod æqviori, & sublimiori lance quàm Pufendorffii opus fuisset. Quemadmodum etiam circa immutationem Compendii mei satius fuerat, nihil tangere, cum ego nunquam Pufendorffio scribendi Magistro uti constituerim. Agnoscat, spero, hæc ver-*

In spicil. con-
trov. cap. 2.
Erid. p. 361.

verba sua, mihiqve qv^{is} longè majori jure iis utor, ignoscet.

§. 9. *Enimvero hoc modo existet duntaxat disciplina Juris particularis, quam plusquam dimidia pars generis humani repudiabit, quæ religionem Christianam non amplectitur. Ac valde dubito, an Juri disciplinam suam regulis Albertinis superstruere possint aut velint. Resp. Nondum desinit coccyssare. Ita liceat mihi Pufendorsum imitari, eandem cantilenam cantantem ipsum, ubi hoc vitii genus perperam tribuit mihi. Quoties enim de his methodi meæ angustiis conquestus est Juris Doctor universalissimi? Quoties ego respondi ostendiqve, Jus Naturæ manere per me omnibus hominibus commune, secundum ea, quæ naturæ humanæ congenita sunt principia prima; Eum in modum, quo Theologia naturalis omnibus hominibus insita est; non obstante, quod utrobique Christiani assumere possunt hypotheses Biblicas, & ex iis theses suas tutius atqve certius quàm gentiles deducere ac demonstrare.*

In præfat. Erid.

Vide imprimis infrap. 46. seqq.

§. 10. *En verò quàm etiam ad instar coccygis, subito abruptat Cantum! Ne nunc, inquit, multis arguam, quod Seckendorfs non rectè hypothesein Albertinam eandem judices cum sententia illorum, qui Decalogum Juri naturali substernendum judicarunt. Nam Decalogus, quin tota religio tam Christiana quàm Judaica vetus, ac omnium populorum leges, peccatum & statum hominis corruptum, presupponunt. Quæ ipsa res Albertum subegit ad absurdam illam & ridiculam analogiam confingendam, per quam etiam, si Diis placet, bellum nunc ad analogiam status integri gerendum est, & carnifex Lipsiensis jam non quidem formaliter, normaliter tamen ad statum Paradisiacum meretrices virgis cadere jubeatur. Resp. 1.) Illustrem Seckendorfsium hypothesein meam non profus eandem judicare cum sententia illorum, qui Decalogum Juri naturali substernendum judicarunt. Testis est ejus formula, qua eodem ferè has duas recidere sententias aperte dicit; quem in modum Ego non longè à sententia mea recede-*

In præf. Comp.
part. I. p. 12.

Compend. par.
2. cap. 1. p. 43.
seq.

L. III. de J.B. &
P. de rigido ju-
re cap. 4. 5. 6. 7.
8. 9. de æquiva-
te cap. 11. 12. 13.
14. 15. 16.

Inspic. leg. con-
trov. cap. 1. Erid.
p. 28. 379.

dere scribo illos, qui Jus Naturæ cum Decalogo conferunt. Nec 2) quoad præsuppositum hic aliquæ diversitas intercedit. Nam & Jus Naturæ præsupponit, hodiè, æque ac Decalogus, statum hominis corruptum, tanquam objectum, tamen status integer, meâ sententiâ, sit maneatque ejusdem principium. Quæ jam alibi deducta non opus habent nova declaratione aut confirmatione. Nec 3) absurda & ridicula est, quæ inter statum integrum & corruptum hoc in negotio à me requiritur, analogia; Exquisitissima potius illa, inque nos benignissima est, ostendens haud obscure, quomodo bellum (siquidem de hoc iterum scrupulum sibi fingit Pufendorfius,) ad analogiam status integri gerendum sit, ut nimirum proprium hujus bonum, quod pacem esse novimus, culpa status corrupti amissum, recuperetur, & quam primum hoc fieri possit, bellum abrumpatur; similiter, ut durante bello justè omnia ac honestè fiant, & hoc medium, quod statui corrupto proprium esse scimus, hoc minimum modo ad analogiam status integri reducatur. Quam facile ab his honesti ac Juris naturalis limitibus aberrabit is, qui Pufendorfium secutus ad socialitatem respexerit, cui se satisfacere putabit, si commodum Reipublicæ suæ promoverit, tamen bellum præter necessitatem protrahatur diutius, aut rigidius, quam par est, administretur. Hugo Grotius, placidissimi animi calamique scriptor, quot capitibus bello multum indulget, tot etiam ad deducendum hujus licentiæ, ex æquitate naturali, temperamentum subijcit. Judicet unusquisque, an non priores ejus cogitationes, quæ sanguine non minus ac Draconis leges scriptæ sunt, ad hypothesein Pufendorffii, posteriores, quò æquiores, eò prudentiores, & analogiæ status integri convenientiores ad meam magisquadrent. Cur vero Carnificis hic meminit? Hujus nimirum nomen non tantum sed & loquendi artificium jam pridem familiare sibi reddidit, jubens me in malam rem abire. Quamquam, cum exemplum hic à meretricibus petiit, non satis rationem amplissimi hujus muneris habuit, cu-
jus

ius est non meretrices solum virgis cadere, sed & calumniatores, siquidem id iuxta normam status integri, quod est, iure fieri possit, uli que gravitate delictorum hunc poenae rigorem promeruerint.

px. virgin
cedendy
i. Carnifre

§. 11. *Ceterum ubi ius universale genitrix est principii deductum fuerit, nemo repugnat, quo minus ejusdem scita in theologia morali ad dogmata religionis Christiana examinentur, & si quid ad regendam hominum aetiones quolibet in casu deesse videatur, inde supplicatur. Alia attemperatio vobis non est. En iterum jam dicta, repetentem aut, sua phrasi, coequantem Pufendorffium! Idem enim legis in §. 4. & 7. ibique à me solutum.*

§. 12. *Videamus nunc rationes, ob quas Alberginum Commentum Pufendorffiana hypotesi praeferat Seckendorffius. Negat igitur insignem usum se perspicere ejus instituti, ut nempe decreta Juris universalis deducantur à principiiis per naturalem rationem suggestis, abstrahendo ab illis, qua revelatio divina suppeditat. Nam apud Ethnicos, sacram scripturam ignorantes, hac docendi via procedendum; in Orbe autem Christiano eam Methodo uti necessum non esse, postposito aut neglecto fundamento Juris divini revelati. Enimvero finis & scopus sacrae scripturae, tum Veteris tum inprimis Novi Instrumenti non est, tradere principia aut disciplinam juris universalis. Et quanquam eadem passim praecepta morum ingerat; non minus tamen disciplinam istam ex professo tradentem praesupponit, aut saltem non impedit, quo minus haec ad leges genuinae methodi constituatur. Sic Roman, I. & II. gentes arguuntur voluisse se per vitia luminis rationis repugnantia, habuisse legem inscriptam cordibus, non agnovisse Deum, qualem poterant & debebant à contemplatione naturae rerum. 1. Cor. V. accusatur quis flagitii Ethnicis inauditi. Cum autem ista, & infinita ejus generis alia Divina littera ex professo & ad formam disciplinae aut artis non deducant, non repugnant, quo minus ejusmodi disciplina adornetur, ubi ista lumine rationis explicentur; quin non obscure eandem praesupponunt. Resp. Videamus nos quoque responsiones, quibus Illustri Seckendorffio se satisfecisse perperam putat Pufendorffius. Prima verò haec quò prolixior, eò debilior est. Ignoscet autem mihi, quod*

IV.
Responsiones!
pro sua sententia.

quod ad hoc ostendendum, distinctionibus more disputantium utar; quos inter cum nomen suum sit professus, hoc etiam genus armorum, quo accuratissime pugnant, improbare nequit. Aliud itaque sciat esse 1.) sacrae scripturae finem & scopum, aliud usum ejus tam primum quam secundarium. Usus primarius scopo aut fini ejus examussum est conformis; adeoque sicut hic est salus nostra, ita ipse quoque est salutaris. Quam ob causam etiam unice ex illis desumi dicitur potest, quae ad salutem nostram spectant. Cum autem, praeter haec, inspererit multa Spiritus Sanctus, quae res naturales & morales concernunt, aut ad historica, Politica, aliaque spectant; ex his omnino, cum verissima sint, nec aliunde in eodem certitudinis gradu hauriri possint, usus secundarius enascitur. Qui tamen 2.) eo non est extendendus, ac si in sacra scriptura integrum disciplinam contineantur, eaque impediatur, quo minus illae ad leges bonae methodi constituentur. Sufficit, quod per hunc sacrae scripturae usum certas accipiamus hypotheses de *τῷ ὄντι*, quod ita res se habeat; quibus deinde de *τῷ δύνῃ*, cur ita sit comparata, theses tuto superstruere possimus. Quemadmodum autem 3.) quoad has hypotheses Philosophia Christiana Theologiam praesupponit: ita 4.) quoad theses utriusque communes ambae amicissime concurrunt; Neutra vero ab altera praesupponitur. Accidit id e. c. in quaestionibus de existentia, unitate, omnipotentia aliisque attributis essentialibus DEI; quae tam a Theologia Naturali, è lumine naturae, quam à Revelata è lumine gratiae, ab utraque nimirum suo è principio genuino, asseruntur & probantur. Eundem in modum vitia lumini rationis repugnantia, tam Scriptura quam disciplina Juris naturalis improbat, citra ullam tamen inter se dependentiam aut praesuppositionem; quanquam sibi Philosophia Christiana de consensu Orthodoxae Theologiae, aut ipsius potius Spiritus sancti, valde gratuletur.

§. 13. *Nec merito Ethnici legem naturalem violasse argui possent,*

possent, si hac ad methodum Albertinam atq; formanda foret, & cujus regule cordibus hominum inscriptae non sunt. Resp. Per regulas meas intelliguntur à Pufendorffio, illae, quas in *Compendii part. 1. cap. 1. à p. 53. usq; ad p. 61.* defumptas à quatuor causis & adjunctis loci atq; temporis, propono, nullo verò modo pro axiomatibus Juris naturalis habeo aut vendito. Sunt autem & dicuntur mihi *νητέρα* eorundem & quidem illorum tantum, quae statui corrupta propria sunt; aptè ceu spero, non minus quam apertè; cum earum beneficio hujusmodi axiomata è statu integro orthodoxè deducere potuerim; quemadmodum Pufendorffius eadem è socialitate derivare minus rectè ausus fuit. Unde corrui consequentia cavilli Pufendorffiani; *quasi lex naturalis non sit insita cordibus hominum, eoque Ethnici legem naturalem violasse argui non possint, quod regula mea iis non sint inscripta. ἔτι μὴ εἰς τὴν ἰσπασθεὶς τὸ ἐπιβληθεὶς ἀπὸ τῶν ἄλλων;* Ergo hi non per januam problemati occurrunt.

Compend.
part. 1. p. 53.

Aristotel.
Physic. IV. 8.

§. 14. Deinde Jus civile Romanum, cuius jam usus in magna parte orbis Christiani est, ab Ethnicis primò conditum est. Ad ejusdem solidam cognitionem multum conducit, discrimen nosse inter ea, quae sunt Juris Naturalis seu perpetui, & quae Juris positivi. Ad hunc finem plus conducere hypothesein Pufendorffii, quam Alberti, nemo insciabitur, nisi cui invidia mentem planè corrumpit. Unde vel hic usus sufficere possit, ut Jus universale ad Pufendorffianam formam adornatum in Scholis Christianis tolerari debeat. Ne nunc dicam, quanti sit, ope istius disciplina judicare posse de legibus quarumvis civitatum, sana rationi congruant an minus, adeoque in imitationem ab aliis trahi an damnari planè debeant. Resp. Crambem hanc bis terve coctam jam respui supra §. 7.

§. 15. Non autem negligit fundamentum Juris divini revelati, qui ex hocce quae promanant, peculiari disciplina, universali Juri contradistincta tractandum vult, nempe Theologia morali, quae quod respectu ordinis & nativae methodi hoc sequatur, non magis contemptum aut neglectum aliquem arguit, quam quod cognitio linguarum & Philosophiae studio theologico praeferenda dicitur. Resp. Dixi modo, 1.) §. 6. quae è fundamento Juris divini revelati

D

pro-

promanant, duplicia esse, partim hypotheses, partim theses. Has cum Theologia moralis è sacra scriptura depromat atque confirmet; disciplina Juris naturalis Christiana contenta est hypothesis, quas inde mutuatur, suisque thesibus propriis substernit. Quamquam itaque non negligit Pufendorfius, quæ Theologiæ morali è sacra scriptura debentur; negligit tamen, quæ disciplinæ Juris naturalis inde provenire possunt. In quo similis est illis, qui nescio quo affectu aut otii studio thesaurum, quem ipsi possunt fodere, inquisitioni aliorum suo cum damno negligenter permittunt. Ubinam verò 2.) Illustris Seckendorffius contemtum interpretatus est, si Theologia Moralis disciplinam Juris naturalis jubeatur sequi? modò hæc, si nostra, quod est, Christiana methodo tractetur, pro illa perperam à Pufendorffio non haberetur.

§. 16. *Nec id ratiocinium coheret; quia Turca & Ethnici nostros libros non legunt, igitur Jus universale non est aptandum ad captum omnium gentium, sed superstruendum est hypothese, qua à magna parte generis humani non agnoscitur.* Resp. quid mirum, quod non cohereat, cum à Pufendorffio valdè sit mutilatum? En enim integrum! *Esti verum est, quod Ethnicus, qui sacram scripturam pro vera, aut regula actionum humanarum non habet, ex sola ratione & illo lumine, quod saltem apud plerasque, & cultissimas nationes agnoscitur, informandus sit: Tali tamen modo in Christiano Orbe scribere & fundamentum Juris divini postponere aut negligere non adeò necessarium est. Turca atque Ethnici libros nostros latinos aut alia lingua conscriptos non legunt.* Quibus verbis, si accurate inspiciantur, tum objectio, tum responsio ejusque ratio continentur. Objecebat nimirum Pufendorffius, Methodum meam tradendi Jus naturæ ex hypothese status integri, non quadrare gentilibus, qui tamen in hac disciplina sint informandi. Respondet Illustris Seckendorffius concedendo totum. Distingvendum enim esse inter informationem gentilium & Christianorum in hac scientia. Illam quidem è solo lumine natu-

naturæ petendam esse; sed ab ea ad hanc non valere consequentiam. Minimum non adeo necessarium esse, ut Christiani methodum suam in gratiam infidelium & gentilium non absq̄ damno suo negligant aut postponant. Ratio; quia hi libros nostros non legunt, nosq̄ adeo nobis quidem sic nocere, illis verò prodesse non possimus. Hoc si ratiocinium vocare volueris, id quoq̄ve optimè cohære negare haud poteris. Aut igitur ita, ex mente Illustris Auctoris, inferat Pufendorfius plenè: *Quia Turca & Ethnici nostros libros non legunt; igitur non adeo necessarium est tractantibus disciplinam Juris naturalis in orbe Christiano, fundamentum Juris divini revelati postponere aut negligere, ut illa ad captum omnium gentium aptetur*: Aut hoc argumentum ejus, tanquam *καὶ βωμᾶ*, prorsus rejiciatur.

§. 17. Instat tamen: *Sane artes ac scientia formanda sunt, prout indoles ipsarum requirit, paucos an multos lectores inveniant. Medici non eò minus scita sua formant ad captum omnium hominum, seu ut omnium gentium morbis inservire queant, ut ut Moscis allium ferè panacea loco habeatur.* Resp. Gratis hæc dicuntur, cum mea quoq̄ve Methodo disciplina Juris naturalis, prout indoles ejus requirit, formetur. Theses enim ejus sunt & manent philosophicæ, tametsi hypothesis sit theologica. Sicut itaq̄ve artibus ac scientiis reliquis aut earum indoli non repugnant hypotheses, quas è relatione humana, in Physica imprimis ipsaq̄ve Medicina, passim assumunt: Ita nostram disciplinam ejusq̄ve indolem non vitiabit hypothesis, quam à relatione divina peto, quin potius eam magis magisq̄ve perficiet. Dign. inter
geni &
hypothesi

§. 18. *Quin si vel maximè illiteratis gentibus ne vocabulum quidem Juris universalis auditum sit, non minus, quæ cum istis à Christianis exercentur actiones, ad normam istius Juris moderanda sunt.* Resp. Concedendo, quoad principia congenita, quæ illis sunt nobiscum communia; quemadmodum hæc à mundo condito in hunc usq̄ve diem, anteq̄vam à Pufendorffio

dorfio & me de Jure naturæ scriptum fuit, in hujusmodi negotiis semper fuffecerunt. Per hoc verò non eripienda nobis sunt præfupposita Biblica, qvz nos per Christianismi privilegium, propria præ gentilibus possidemus.

§. 19. *Nec idè 'Populis Christianis pauca negotia cum Muhammedanis & gentilibus intercedunt, si vel maximè inter Sudetes montes ac saltus thuringicos tractus à solis Christianis habiterur.* Resp. Videmus aculeum, non sentimus. Tametsi enim inter Sudetes montes, qvorum sub umbra ego natus sum, ac saltus Thuringicos, qvos ad tempus Illustris Seckendorffius incoluit, tractus haud exiguus à solis Christianis habiterur; Scimus tamen, & in Misnia, ubi natus fuit olim Pufendorffius, & in Svecia, ubi jam degit, solos Christianos reperiri, siq cum Muhammedanis aut gentilibus negotiari aut eos methodosua informare velit, prius ei emigrandum esse.

*putand. est
Misnia*

§. 20. *Præterquam autem, quod & bello sua sint jura, falsum est, solis armis adversus Turcas & infideles opus esse, nisi quando indistinctum cum ipsis est bellum. Nam paci tempore utiq, communitia humanitatis jura adversus istos sunt exercenda. Et hominem ideo hostili modo habere, quia circa sacra diversam à nobis falsamque fore opinionem, & religioni Christiana & sana nationi repugnat. Sic v. g. Germania non minus armis opus est adversus regem Christianissimum quam Turcas: nec idè tamen nullus juris naturalis usus adversus Gallos est.* Resp. Qvas qvzso larvas iterum sibi fingit Pufendorffius, contra qvas pugnet? Cum Turcis atqve Ethnicis efficacius disceptari machinis & gladiis, quam argumentis è jure naturæ desumptis, dicit Illustris Seckendorffius, idqve historia pariter, & experientia, testes omni exceptione majores, satis superqve comprobant: Ubinam verò solis armis adversus Turcas & Infideles opus esse statuit?

§. 21. *Ista quoque se non consequuntur; Si quis cum Turcis*

Turcis & Etbnicis super commercii & similibus negotiis tractet, principia jam nota sunt; igitur supervacuum est, disciplinam Juris universalis adornare ad captum omnium hominum. Sicuti non sequitur; etiam rustici norunt, quid sit emere & vendere: igitur supervacuum est in disciplina Juris de istis contractibus tradere. Sic haud ideo Euclides & subtilia mathematicorum tradita proscribenda sunt, quia fabri dimensiones suas ad instrumenta sua parum operosa exegisse satù habent. Quin plerarumque artium principia sunt planissima; nec eò minus inde deducuntur propositiones, haud quibusvis obvix. Resp. Invertitur iterum sententia Illustris Autoris. Ejus enim animus non est, inferre velle absolute: Si quid cum Turcis & Gentilibus super commercii & similibus negotiis tractetur, principia jam nota sunt: Ergo supervacuum est, disciplinam Juris Universalis adornare ad captum omnium hominum; Sed comparatè: Ergo fundamentum Juris divini revelati, quo domi maximo suo cum commode Christiani uti possunt, in gratiam Turcarum & Gentilium postponere aut negligere, non adeò necessarium est. Vides hæc ex propriis ejus verbis ita sequi. Hinc instantiæ, quæ à rusticis & fabris petiæ & subjectæ sunt, sponte sua corruunt; imò verò in Adversarium intorqueri possunt. Quemadmodum enim in doctrina contractuum & subtilitatum Mathematicarum non adeò necessarium est, ad captum rusticorum & fabrorum respicere, cum jam norint, quantum utile ipsis aut necessarium est; rectè verò cavetur, ut in his quoque doctrinis Christianæ veritati nihil difforme, omnia conformia sint: ita in disciplina Juris naturalis non adeò necessarium est, ad captum Turcarum & Gentilium respicere, cum principia ejus, quantum opus est, ipsis jam nota sint; rectissime verò prospicitur, ut in hac nihil Christianismo re-pugnet, omnia concordent.

§. 22. Denique utilitas mutua, quæ haud subtili disquisitione constare dicitur, non est regula actionum inter diversas nationes susceptorum, sed causa, quæ has ad negotia inter se contra-

henda impellit; quæ ubi cessat, negotii nihil contrahitur, quia prudentis non est, frustra quid suscipere. Sed quid inde adversus necessitatem atque utilitatem Juris universalis concludi potest? Resp. Utilitas quidem non est regula talium actionum de jure, sæpe tamen de facto, apud barbaras inprimis Gentes, quæ symboli quasi loco habent illud Epicureorum:

Horat. Satyr. L.

L. 3.

— Ipsa utilitas justæ propè mater & æqui.

Hinc quid inde concludi possit, facile intelligis. In Turcarum nimirum & Gentilium gratiam non adeò necessarium est, postponere hoc loco aut negligere fundamentum verbi revelati, & absque hoc Jus Naturæ docere; Cum illi utilitate potius quam æquitate Juris, ea quæ agenda sunt aut omittenda, metiantur.

§. 23. *Quercia autem, quæ subnectitur de fastidio Juventutis circa verbum DEI, disciplinam Juris universalis ad ductum sans rationis adornatam non tangit, Qui enim Jus istud cum Theologia morali non confundi vult, haud impedit, quo minus pietati operetur Juventus. Quin potius pietatis studium commendatur, si demonstratur, ordini in ipsa rerum natura constituto repugnare, qui vitio immergitur. Resp. Tangit ideo, quia ratio non manet sana, quando revelationi divinæ fingit contraria, e. c. hominem in mundum undecumq; projectum valdeque miserum, cui ratio eheu! hodie valde corrupta ex contemplatione naturæ & conditionis sue officia illi conditioni necessaria suggerere debeat. Hoc nimirum agitur, hoc obtinetur illo philosophandi Libertinismo, ut rationi sibi relicte, quod est, valde perverse liceat luxuriari ad nutum Novatorum, jam in Philosophia Theoretica maxime cum Cartesio, jam in Practica cum Hobbesio aliisque. Quousque grassata sit hæc licentia per aliquot annos, quantaque jam intulerit damna, dies loquitur, boni omnes deplorant non minus quam detestantur. Vanum autem metum esse, quem de confusione Juris naturalis & theologiæ moralis iterum somniat, ostendi supra §. 7. Contra, Christiani Philosophi non tantum est, non impedire, quò minus pietati operetur Juventus, aut pietatis studium*

ei

Pufend. L. 2. de

J.N. & G. c. 2. §.

2. Apolog. §. 11.

Idem Erid. p.

261.

ei commendare quomodocunque, si possit excitari multo efficacius, per præsupposita nimirum, ex ipso DEi verbo petita, de quibus nos in sola Philosophia Christiana gloriari possumus.

§. 24. *Quod hypotheses in se innoxie in aliam ab Auctorum mente sensam erabantur, culpa penes calumniatores est, qui alios morficando famam sibi qualemcunque quasitum eunt.* Resp. Utinam omnes omnium hypotheses innoxie in se essent! Reliqua me nontangunt. Non soleo ego alios calumniari ac morficare; nec opus habeo, famam mihi hoc modo quasitum ire. *Hoc facium statim, quos gloria vexat inanis.*

§. 25. *Quid per veteres regulas intelligat Seckendorffius, haud satis assequi possum. Veteres alias regulæ, si falsæ & inutiles sint, merito non amplius estimantur: Si vere sint, nimirum valde stupidos oportet doctores esse, qui earundem auctoritatem sartam etiam conservare nequeant. Recentibus autem regulis, ubi idonea demonstratione nitantur, quæ constantem fidem non adhibet, morbo mentis laborare censendus est.* Resp. Veteres regulas Vir Illustris, quas præferre se scripsit, eas intellexit, quæ obtinuerunt, antequam alius hominum status, quam revera est, à Novatoribus effingeretur. Illæ verò cum divina veritate nitantur, quomodo falsæ & inutiles esse possent? Rectè de his adhibueris illud Philosophi: *Τιμιώτατον, τὸ ἀρετοβούτατον*, Aristot. L. 1. Metaph. cap. 3. *honore dignissimum, quod antiquissimum.* Quid ad has, recentes Novatorum regulæ? Quomodo, cum fictæ aut falsæ sint, idonea demonstratione nitantur? Cur morbo mentis laboret, qui rationem minus famam pro Oraculo habere dignatur?

§. 26. *Laxa denique & per probabilitatem corrupta principia quænam sunt, distinctius debebat exprimi. Sanè eiusmodi principia Pufendorfii scripta superstructa non sunt.* Resp. Laxa principia sunt, quæ nullum è verbo DEi frænum admittunt, ipsaque per probabilitatem, quam à corrupta ratione speciosè accipiunt, corrupta sunt, aliosque corrumpunt. Utinam verò!

Sed

Virg. L. 1.
Æneid.

Sed præstat motos componere fluctus.

§. 27. Imò verò jam sunt compositi. Igitur longè solidioribus rationibus opus est, ut credamus, rem Christianam libello Albertino magnoperè promoveri, aut Jus naturale ad solius rationis humanae captum adornatum è Christianorum Scholis præferendum esse.

Idem ibid.

Sic ait, & dicto citius tumida æqvora placat,
Collectasque fugat nubes solemque reducit.
En enim plenum Triumphum! me devictum, Pufendorfium victorem! scilicet. Igitur longè solidioribus rationibus opus est, ut credamus, rem Christianam libello Albertino non promoveri, aut Jus naturale ad solius rationis humanæ captum adornatum ei præferendum esse.

SOLI DEO GLORIA.



II.


II.

SPECIMEN VINDI-
CIARUM,

Editum A. M. DC. LXXVIII.

*Adversus*SPECIMEN CONTRO-
VERSIARUMSAMUELIS PUFENDORFI,
tum Professoris Londinensis.

AD BENEVOLUM LECTOREM.



Vadriennium effluxit, ex quo *H. Grotii libros de Jure B. & P.* in gratiam Studioſæ Juventutis intra privatos parietes expoſui ſic, ut & citra periculum in Religione, legi, & ab unoquoque ſine difficultate intelligi poſſint. Præſandum autem omnino aliquid erat, non tam, ut mori ſeculi, Tyranno hujusmodi formularum potentiffimo, reverenter obſecundarem, quàm ut rationem inſtituti mei decenter redderem, eaq; quæ morari me aut Auditores poſſent, tempeſtively removerem. Inter hæc non inſimum inveniebant locum ſententiæ nonnullæ *Domini Samuelis Pufendorfi*, quas de Jure N. ac fundamentali ejus propoſitione, deque modo tractandi nobiliſſimam hanc diſciplinam, in *Libris de Jure N. & G.* adſtruxerat quidem, ſed recenti præſidiò tum muniverat, variis ſcilicet diſtinctionibus & reſponſionibus ad monita nonnullorum, in *præſatione Libris de offic. hominis & civis juxta Legem N. præmiſſâ*. Hanc itaq; præſertim cum

E gratiam

gratiam novitatis tunc nondum exuisset, in Protheoria, non solum quidem, (cum & Grotii, *Monarchomachorum* aliorumque aberrationes manifestè impugnaverim, & ad Epicureos eorumque similes haud obscure respexerim,) præcipuam tamen Examini mei partem eligebam persequerique, eam quidem modestiâ, ut nec ipsam nec Autorem ejus, nomine aut ullo alio indicio, designarem unquam, sed falsis opinionibus ipsis nudam ac simplicem veritatem statim opponerem. Præterea nullus ibi aculeus in verbis; nulla in sententiis acerbitas: placida omnia atque benigna: Adeo ut mirari possis, quo modo non tantum hæ chartæ, nullis à Typothetis & Bibliopolis alis instructæ, in Scaniam usque, ruptis privati Auditorii cancellis, avolare, sed & *Pufendorsum* ibi ad indignationem commovere potuerint. Fateor, quidem, hanc Protheoriam meam, eaque ferè omnia, quæ *Pufendorsum* in illa tangunt, paulò post inserta à me fuisse *capiti primo partis prima Compendii mei*, quod in lucem publicam ex eo tempore emisi. Sed hoc *Pufendorfo*, tum quidem, cum *specimen controversiarum* in chartam conjiceret, conspectum non fuisse, certò constat ex illius *capite 4. §. 10. seqq.* quibus solam totamque *œconomiam* meam apertè aggressus est & impugnavit. Nec, si illud jam tum vidisset, me alium in eo, sed plane eundem, hoc est, moderatissimum invenisset; tantum abest, ut iteratum hoc humanitatis meæ specimen ad nauseam ipsi aut bilem movendam naturâ suâ comparatum fuerit. Sed qui accuratiùs attendit ad oppositos planè limites, quibus sententiæ nostræ distinguuntur, *Pufendorsum* ad defendendos suos, meis vel è longinquo, absente etiam hoste, saltem observatis, properasse, mirari non potest. Nimirum, cum ego suam *Juri N.* dignitatem in omnibus asserere studeam, haud parum ea in plerisque à *Pufendorfo* violatur. Deum quidem Autorem ejus esse, non diffitetur, cum de hoc nemini sano liceat dubitare; sed, quam obscurant divinam hanc originem ea, quæ de homine in mundum undecumque projecto inque statu miserimo primùm vivente fingit! Qui verò secundum meam ductum prima *Juris N.* cunabula in statu integritatis quærit, nã ille divinitatem ipsorum non minùs ac ipsius imaginis divinæ, semper ante oculos conspiciatur. Quâ viâ invenitur etiam norma illa certissima, quam ego homini corrupto, haud aliunde quam ab integro mutuò petitam,

por-

L. II. de J.N. &
C. c. 3. §. 5.

porrigo. Tutissimè huic actiones tuas conformas, secutus rationem rectam ejusque exemplar absolutissimum; cum à *Pufendorffo* cæcus cæco dux detur, Ratio scilicet eheu! valdè corrupta *hominis corrupto, cui ex contemplatione natura & conditionis suæ officia illi conditioni necessaria suggerere debet.* Sufficit nimirum ipsi, si satisfiat socialitati; ad quam Jus N. ad nutum ejus, primariò dirigitur. Hinc magna ex parte, *eodem distitante*, circa externas tantùm hominis actiones occupatur. O magnam dignitatis jacturam, quam per hanc rapinam jus N. patitur! Habuit hætenus hoc privilegium præ Jure positivo humano, ut cum huic per actiones externas, etiam ab hypocritis, satisfieri possit; illud interiorem animi bonitatem, requisiverit, tanquam *ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens.* Sed fuimus Troës; nosque ipsi, unà cum hõc Jure, felicitate pristinâ, magnâ ex parte spoliati sumus, si *Pufendorffo* limites Sacrosanctæ hujus legis movere licuerit. Nam ad socialitatem restricti, & ad externas tantùm actiones respicientes, finem actionum nostrarum summum & universalissimum, qui est gloria Dei, haud observabimus, nec ad observandum eum Jure N. tenebimur. Quò quid vilius de hac divina lege dici possit, non video. Jura enim, quæ ab hominibus conduntur, ejus sunt indolis atque efficaciz, ut Autoribus suis gloriam obsequii apud subditos vindicent: sed Jus N. nos deorsum tantùm ad eos, quibus cum societatem colere debemus, hoc modo rapiet, sursum autem ad Deum, à quo id ipsum nobis impositum est, in omnibus operibus nostris honorandum, non manuducet. Magna & intolerabilia postulata; in quæ cum ego nullo modo consentire velim nec possim, mirari nequeo, hunc dissentium meum à *Pufendorffo* ægrè ferri. Cogitavi tamen de medio, quò si non conciliari, scopum tamen nostrum uterque consequi possimus. Nec diu in hoc quærendo laborandum mihi fuit. Obtulit enim id seipsum in scriptis nostris. Ita nimirum *Pufendorffus* disciplinam Juris N. se tradidisse, certissimè persuasus est, ut ad captum omnium hominum sit. Ego verò distinctam ejusdem Juris notitiam in gratiam Christianorum proponere studui; ratus, citius hos quam omnes omnino populos certam quandam methodum hujus disciplinæ approbaturus esse; quam

In Specim.
Controv. pag.
109.
Eri. p. 251.

In præsit.
I lib. de Offi-
cio hominis &
civis juxta L.
N. alibi que.

Cicero L. II de
Legib.

In Specim.
Controv. ali-
bique passim;
recentissimè in
præfat. Eri.

quidem spei meæ modestiam nullibi dissimulavi. Facile itaque patiar, ut *Pufendorfius* orbem terrarum non pedibus magis quam præceptis suis peragret, & applausum omnium gentium, cum iis scilicet, qui hodiè *Libros universales; scholas universales; collegiam universalem; linguam universalem;* & ex his *scientiam ac fidem universalem* toti orbi promittunt, ad Calendas græcas audiat; nec si cancellis Christiani orbis, illis videlicet longè arctioribus, ego includar, inque his disciplinam eandem purius ac certius tradere jubeam, injuriam interpretabor. Atque hæc ineunda inter nos concordia ratio videbatur mihi superesse. Verum enim verò, cum accuratiùs in hoc consilium inquirò, nec hoc quidem multum proficere nos posse deprehendo. Veniat enim *Pufendorfius* ad Gentiles, doceatque, cum à simplicissimis societatibus sit incipiendum, *paternum imperium nisi præsumpto liberorum consensu, & pro occasione illius, non pro causa natiuitatem habendam esse: quam metuo ipsi de responsionibus minùs acceptis atque gratis! Etiamnum, inqviunt, calida (à partu) matres, doloribus ac cruciatibus concusse & tremebunda, infantem non præterimus neque fugimus, sed ad eum nos convertimus, arriдемus, tollimus, osculamur: nullam sanè percipientes dulcedinem, nullam utilitatem. Natura tota est vis, non minùs apud homines quam bestias. Hæc vero an minùs benigna in nos fuit, ut a liberis promptitudinem parendi, tanquam *ἀντιδωρον*, exigere neglexerit? Quod si verò hic gentium Doctor in aulas penetraverit, dictoq; audientes inveniènt summos principes, verendum est, ne ad socialitatem omnia dirigere edocti, vel hanc ipsam disciplinam publicè doceri prohibeant, rati, id non è re societatis civilis fore: quemadmodum Monarchæ Sinenfium, ex eadem ratione, Astronomiæ studium ad paucos, publico edicto, restrinxerunt. Dubio procul ægerrimè quoque doctiores è gentilibus paterentur eripi sibi principia congenita, quæ cum actionum non minùs ac scientiarum fundamenta, magno consensu putaverint esse, *tractatio dogmati* jam audiant adscribi. Ego verò hæc, quæ DEUS toti humano generi inter reliquias imaginis divinæ concessit, ipsis non eripio, & quia hoc ipso notitiam Juris N. quamquam imperfectam, ipsis tribuo, erigor in eam spem fore, ut vel ipso *Pufendorfo* me lubentiùs admittant, audiantque. Afffectu enim*

Comenius in
via lucis vesti-
gata & vesti-
ganda.

In Elem. Ju-
rispr. univers.
L. 1. Axiom. 2.
ol. serv. s. 8. &
L. VI. de J. N.
& G. c. 2. S. 4
*Plutarch. de
amore probis
circa fin.*

Vid. Trigaut.
& ex eo Neu-
hof. p. 251.

In Specim.
Controv. pag.
116. 117. Erid. p.
268.

enim ad hujusmodi doctrinam jam ipsorum aures sunt à tempore *Ciceronis: Communis, inqvientis, intelligentia nobis notas res efficit easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia.* Sed recipio me non invitus ad Christianos, quibus perfectiorem hujusnotitæ gradum ex Orthodoxa doctrina de imagine Dei polliceor. At verò cum non exigua nostra disciplina parrem constituat Politicæ Architectonicæ, eodem obtentu isti homines (Theologi) didicatoriam sibi circa hujus dogmata auctoritatem arrogabunt. Quod quàm non usquè ad eò tutum sit summis imperantibus civilibus, & præteritorum seculorum & hujus nostri funestissima exempla docent. Grande ac præsentissimum periculum; nisi nobis, qui Orthodoxiam profitemur, cognomen fidelium subditorum non tam pestilentissima aliorum πολυπραγμοσύνη, quàm doctrina, quàm vita nostra ipsa proprium ac peculiare fecisset. Sed dum de hac injuria viderint alii, ad quos propius pertinet; putabit Pufendorfius, meo exemplò liquidè constare, quàm anxie omnem lapidem moveant veteres Magistri, ne dictata & Collegia manuscripta detrimenti quid patientur. Hanc enim causam ille esse putat, ob quam doceam aliter, quàm ipse sentit & expetit. Absit autem à me tam gravis culpa, ac si doceam, ut ditefcam. Quod ad animum attinet, inqvio ego cum Platone, mercaturam, quæ conmutat nummis cruditionem, ignoramus. Nec quisquam, scio, qui me moverit, hanc laudem mihi invidabit. Quod si verò quis ei studere velit, certius omninò nummorum aucupium promittere posset sibi, in docendis Pufendorfii libris quàm in meis sive MStis sive impressis chartis. Nullum enim his à novitatibus pretium; quæ illis, imprimis ab incauta juventute, jamdudum dictum fuit, à me non invidendum. Quæ verò causæ me semper ad docendum impulerunt, ex tunc quoque necessitatem dissentienti à Pufendorfo mihi imposuerunt: Studium nimirum propagandi gloriam DEI, juvandiq; Egregium publicum in moderanda imprimis studiosa juventute. Indeque parùm abest à nova injuria conjectura illa Pufendorfii, quæ affectui in Scherzerum, proximo affinitatis vinculo mihi conjunctissimum, dissensum meum in uno alteroque haud obscure tribuit. Hanc servitatem nec servivi ego apud ullum, nec eam mihi imposuit Vir laudatissimus. Vires, quibus vincendus sit Pufendorfius, novit sibi ipsi non deesse, quibus dubio procul etiam uteretur, nisi

L.I. de Legib.

In Specim
Controv. p. 90
Erid. p. 252.Ibid. p. 82.
Erid. p. 247.

In Sophista.

In Specim
Controverf.
p. 20.

Apud Nold.
in leg. distin-
grend. in præ-
fat. D. Nicol.
Anton. Hispa-
lensem in Bi-
bliothecz Hi-
spanz Tom. I.
p. 630.
Psalml. t. t.

In Sophista.

Similitudo
phipza

In Specim.
Controu. pug.
86. Erid. p. 250.

Exercitat. I.
lect. I.

ingloriam sciret esse certamen, quod per aculeos, scandalô majori quàm commodô, instituitur. Securus autem, quo numero libri à se hætenus editi à *Pufendorffio* habeantur, legit apud exteros elogia eorundem, eo rectiora, quò minùs scriptores istos ullo sibi beneficio unquam obligavit. Eâdem, quod est, Christianâ patientiâ concoquam & ego titulum veteris Magistri, naris minùs emunctæ, commentorum &c. gratulatus mihi denuò de hypothefi mea in tradendo Jure N. quæ non patitur me æquè ac alios esse in *societate irrisorum atque malignantium*. Procul ego, procul ab hac, candidè ac amicè cum *Pufendorffio* agam, ejusque censuras in tria distincta capita distribuam, ut Lectorem non minùs in dijudicando quàm me in disputando juvem. Ex hac causâ parcius etiam pleraque eloquar, cum ubertas vocum, quâ ubique abundat *Pufendorffius*, Oratorem potiùs quàm disputantem commendet. Minoris etiam apud hunc quàm illum sunt similia, quibus frequenter *Pufendorffius* delectatur. Sed tolero illa, memor tamen prudentissimi *Platonis* moniti: *Eum, qui à deceptione tutus videre debet, à similitudine summopere cavere oportet. Lubricum maximè hoc genus.* Quod tam verum hîc esse deprehendi, ut plerasque intorquere similitudines in Adversarium potuerim. Stilum Scholæ & ex eo particulas (*quicquid, atqui, ergo,*) quibus *Logicî Syllogismum* connectunt, nolui apponere, ne nauseam moverem delicato *Censori*, cui *pedanticiſſimum ferculum* videntur esse; affveto ad *Entiam moralia, modos affectivos & affirmativos &c.* similesque Latii, scilicet, lautitias. Sed hoc ex intimis *Pufendorffii* arcanis, quibus Ratio Statûs ejus, si dicere fas est, nititur, depromptum esse videtur, ut receptum docendi modû per terminos technicos, quem non potest non subindè adhibere Ipse, carpat in aliis, præsertim, ubi licet ipsi rhetoricari; eum dubio procul in finem, ut Patronis Aulicis, ab horrido dicendi genere, si sit affectatum, meritò abhorrentibus, inter Philosophos hodiè videatur elegantissimus. Mihi verò, in cathedra Philosophica docenti aut disputanti, semper placuit salutare monitum *Scaligeri*: *Non in foro versamur aut in Romano comitio, sed in communi theatro Sapientum sub oculis veritatis: cuius suppellectilem atque apparatus non tam nitidum quàm opulentum esse decet.* Sed hæc libertate, ut dixi, jam parcius utar; ante omnia verò totum

Pro-

Proœmium, quod Protheoriz in Grotium, à Pufendorffio impugna-
tæ, præmiseram, ad verbum è manuscripto repetam, cum illud ty-
pis nunquam commissum nec, si per Pufendorffium licuisset, com-
mittendum fuerit; dignum tamen ab illo habitum fuit, quod pri-
mam ejus vim hõc loco experiretur. Faxit autem ubiqve Deus:
Feliciter!

PROOEMIUM MSTUM ET à PUFENDORFFIO IMPUGNATUM.

Utramque Philosophiam jure meritoque dona Dei & testimonia de Deo, vocat Melanchthon in Epist. ad Comitem Georgium ab Erbach, Anno 1557. scripta. Sciens hoc Diabolus, in eo totus fuit, non tantum apud Gentiles, sed etiam inter Christianos, præsertim *Papatu florente, ut disciplina tam Theoretica quàm Practica corrumpentur.* Postquam etiam, Dei gratiâ, Philosophia unâ cum Religione superiori seculo repurgari cœpit, non desiit his donis divinis adversus Deum & doctrinas divinas abuti. Hinc *primum Theoreticam Philosophiam prelio iniquissimo commisit cum Theologia, ac si illa huic esset contraria.* Deinde, cum è *Practica Philosophia nostro seculo utilissima doctrina de jure Natura & Gentium enucleatius proponeretur, hac ut orthodoxa fidei adversa evaderet, maximopere allaboravit.* Callidum inimicissimi nostri consilium; Necessaria atqve utilissima cum sciens ac volens addisceret Juventus, damnabiles errores ei instillare voluit, nec scienti nec volenti; non aliter ac venenum sub cibo ac potu necessario facillimè propinatur. Volui itaque & ego, minimus aliàs inter eos, qui nobilissimæ huic doctrinæ addicti sunt, *ααδδύαυιν* tanto malo mederi. Sic autem apud me statui: Putavi (1. *disciplinam juris Natura & Gentium Studiose juventuti maximè commendandam & inculcandam esse*; ejusq; (2. *Doctorem hõc seculo primum & primum, Hugonem Grotium, manibus ejus extorqueri nec posse nec debere*; ideoque (3. *utilissimum fore, si libri ejus de jure Belli & Pacis in Compendium orthodoxum redigerentur,* verè

Lib. Epistol. A.
1647.
Lugd. Batav. e-
diti pag. 10.

veræ ac sanæ ejus doctrinæ ex hypothefibus genuinis deducerentur, *falsa* verò unà cum fundamentis suis everterentur & rejicerentur. Aggressus igitur sum hanc operam in nomine Domini, ad amussim applicaturus lapidem, non ad lapidem amussim, speroq; fore, ut Deo bonisque omnibus placeam. Verba verò Grotii notatu digniora & axiomata salutaria omnia, nec non distinctiones necessarias & utiles studiosè semper retinebo, putans & ad hujusmodi terminos ac distinctiones, quibus ob Autorem magni nominis, eruditus orbis passim utitur ac delectatur, studiosos assuefaciendos esse. Aculeos autem & acerba dicta in Scriptores hujus juris, quicumque illi sint aut fuerint, à me expectet nemo, qui grato potius animo agnosco ac deprædico labores illorum, qui de bono publico bene mereri voluerunt, etiamsi aliquid humani nonnunquam passi fuerint, tanquam homines; inter quos & ego profiteor me, veniam non difficiliter dans ac ipse impetraturus.

Censuræ super quibusdam in hoc Prooemio in Specim. Controv. cap. 4. Eri- dis Scand. p. 247. usque ad p. 266. & Responsiones ad illas.

§. 1. Breve Prooemium; prolixius examen ejus; in quo ag-
greditur *Pufendorfius*, partim nonnullas assertiones meas, partim
ipsum institutum meum.

§. 2. Assertiones putat esse *vel mutilas vel falsas*.

§. 3. PRIMA assertio mea est: *Papatu florentie disciplinas tam
Theoreticas quam Practicas corruptas fuisse*. Verè, juxta Censorem cap.
4. §. 10. *Erid. p. 247.* sed insufficienter; cum addi debuisset, *id potissimum
factum ope Sacerdotum*. Cui bono? cum cuculli Scholasticorum
non minus noti sint quam militiæ sagum aut pæis toga. Sed Oe-
dipo non opus habet fabula de lupo, transferente culpam turba-
tæ aqvæ in agnum. Philosophia nimirum vim, hodie æqvè ac
olim, passa est: de quo parallelismo nostri ac superioris ævi con-
stat inter nos, totumque orbem eruditum. Sed & alium, dum hæc
scripsit, dubio procul in animo habuit *Pufendorfius*, haud obscure
indicans, se Theologis hodiè, quod olim commiserunt, crimen

impu-

I. Objectionum
adversus asser-
tiones meas
PRIMA.

imputare. At vereor ego, si exactius in convenientiam inter
 ætatem Scholasticorum & præsens tempus inquiratur, ne aliam
Pufendorfius sententiam audiat. Mediâ illâ, de origine mor-
 ralitatis in actionibus humanis periculosa voces ac sententiæ
 audiri cœperunt, ad cœ ut *Danzus* gustum hujusmodi deliciarum,
 scilicet, præbiturus Lectori suo, primam voluerit esse hanc:
An Deus possit quædam malum, etiam odium sui, præcipere, & omne
bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui? Utinam, si ab illis
 semper dissensit *Pufendorfius*, nulla harmoniæ in vocibus exsta-
 rent vestigia!

Danzus cap. 2.
 Prolegom. in
 Lombardi l.
 dissent.

Secunda.

§. 4. SECUNDA: *Post repurgatam religionem primum Theo-*
retica Philosophia pralio iniquissimo cum Theologia, ex astutia diaboli,
commissa fuit. Faisô, judice *Pufendorfio*, §. eod. *Erid.* p. 247. cum *D Da-*
nivl. Hofmanni, Theologi Helmstadiensis, liscula (ad quam non malè
 conjicit me respexisse,) *de pugna inter Theologiam & Philosophiam,*
fuerit triobolaris. Longè aliud fuit Ecclesiæ, Illustrissimi Prin-
 cipis, *Heinrici Julii*, ipsiusque Academiæ *Helmstadiensis* judici-
 um. Verum quidem est, litem ab *Hofmanno* non fuisse motam
 Scriptori cuidam privato super opinione novâ; quo in casu,
 haud aliter ac si de salute Græciæ, quid? totius generis huma-
 ni certaretur, hodie nonnulli ferre nequeunt dissentientem;
 sententia tamen, quam Spiritus S. in sacris literis haud obscure
 adstruxerat, quam Ecclesia in Libris Symbolicis repetierat, &
 absque præsentissimo orthodoxiæ periculo ac ingenti hæresium
 incremento mutare non poterat, hoc errore graviter violata fuit.
Vide Cornelii Martini Epistolam hac de re; & confer Grauer. de simplicii
& unica veritate. Hinc, autoritate Sapientissimi Principis,
 gravissimi designati Viri, coram quibus se susteret *Hoffman-*
nus, duceque veritate in regiam viam revocaretur. Hinc omnia,
 quæ cum eo gesta fuerunt, accuratè literis mandata & in aulam
 transmissa. Hinc Dei gratiâ, redeunti ad meliorem mentem,
 necessitas palinodiæ publicæ imposita, quam & in Academiâ *Ju-*
lia solenniter, affixo programme, quod sigillo suo nominisq;
 subscriptione muniverat, A. 1601. 19. Mart. canore non erubuit.
 Unde videre est, quàm exiguo strepitu, de quo *Pufendorfius* *ibid.* *hæc*
lis deflagaverit. Et si incendia quoque, quæ brevi restinguntur,
 possunt

possunt esse periculosissima. Videat autem, qui manes *Hofmanni* veneratur, num ego injuriosus in eos fuerim, errore, nomine Autoris suppresso, intra privatos parietes ad eum, à quo omne malum, brevissimis verbis referens; num *Pufendorfius*, qui in publico scripto, non dissimulato nomine, *morositate Viri, Zelo à scientia parum subnixo, agitati*, post fata ream agit.

Tertia.

§. 5. TERTIA: *Nostro seculo maximopere laboravit diabolus, ut doctrina de J. N. & G. Orthodoxa fidei adversa evaderet.* Falso, ex sententia Censoris còd. §. *Erid. p. 248. cum ab errore Doctorum (Grotii, Hobbesii,) ad doctrinam ipsam non valeat consequentia.* Rectè; si de doctrinæ essentia, cujus nativa indoles semper manet illibata, mihi esset sermo. At vero de existentia ejus loquor, quæ non minus ab erroribus docentium ac frumentum à paleis, aut aurum à scoriis, vitium attrahere sui que jacturam pretii facere potest. Aptà similia; quæ commodè *Pufendorfius* ipse suggerit. Similes nos, qui docemus, vendentibus sumus. Non enim primi tantum Academiæ Parisiensis Doctores, Joh. Mailrosius & Claudius Clemens, velut institores mercis cujusdam novæ, vendendam scientiam proclamant; sed & ad nos, tanquam ad mercaturam bonarum artium, adhuc hodiè nonnulli proficiscuntur. Invenias tamen & hîc artes Mangonicas, quibus tractata pessimeque corrupta, inter alias, hæc disciplina, cum in se sanctissima sit, orthodoxiæ adversatur; haud aliter ac *Philosophia*, ipsius Spiritus S. stylo *Cicero. II, 8.* est medium, quo decipere, (*συναγωγῆν, depradari*) nos possunt corruptores. Absit autem, ut hujusmodi impuritates negem separari posse. Cur enim manum ipse admovissem, si de fructu desperassem? Cur major sit felicitas frumenti aut auri, rerum in corporis commodum à Deo creatarum, quas à paleis & scoriis liberari videmus, quàm doctrinæ, quæ saluberrimum est animi nutrimentum & ornamentum? Sed illotæ aut impuræ manus non sunt adhibendæ, quibus fordes auferentur magis quàm minuerentur.

II. Judicium
super instituto
meo:

§. 6. Hactenus de assertionibus meis. Quod in instituto meo desiderat *Pufendorfius*, vel ad commendationem, vel ad emendationem *Grotii* spectat.

§. 7. Di-

§. 7. Dixeram: *hanc manibus juventutis extorqueri nec posse nec debere.* Quas larvas hîc sibi fingit suspicio? Audiens enim *Pufendorfius* de hospitio *Grotii* apud nos, metuit sibi de exilio; §. 11. *Erid. p. 249.* Superiorum, quibus *Politica Architectonica*, monente ipso *pag. 252.* facta tecta conservanda est, hac de re fuerit iudicium. Salvâ horum autoritate, fassus sum ingenuè *sub finem proœmii: me grato agnoscere animo ac de prædicare labores illorum, qui de Bono Publico benè mereri voluerunt, etiamsi aliquid humani nonnunquam passi fuerint.* Quæ præterea de imperfectione operis *Grotiani* *ibid. p. 249.* monet, me non tangunt. Multa enim addi, & tradi rectius posse, factò ipso docui in *Compendio meo:* in quo tamen promissi mei ac studii in *Grotium* probè memor, axiomata ejus & distinctiones necessarias ac utiles, studiosè semper retinui; quod & in Collegio illo, in cujus præfatione fidem meam obligaveram, satis superque præstiti. An verò hoc labore meo, juxta prognosticum *Censoris* *ibid. novum quendam Magistrum sententiarum ex Grotio* fecerim; judicent, qui volunt & possunt, ex inspectione *Opusculi* mei, quod *Magistrum sententiarum* suarum certissime vel laudabit vel condemnabit.

§. 8. Promiseram inter alia *1.) me in emendando Grotio, sententias ejus falsas eversum esse.* Pro superfluo hoc habet *Censor, cod. §. Erid. p. 250.* tanquam jam actum à *Dn. Ofiandro.* Quasi verò non liceat pluribus, eundem errorem impugnare! præsertim si modus sit diversus; ibi prolixior hîc brevior. Sed huic rationi speciali subjungit etiam generalem, putans, sufficere in hujusmodi casibus solam thesin, *cùm huic semper adjungere Antithesin, nihil aliud sit, quàm disciplinas sordium mole reddere turgidas.* Nova methodus; de qua nihil præcis Sapiensibus innotuit. Quot capita, imò libros *Aristotelis*, ex hac lege abjicere tenebimur? Tantum enim adest, ut ab *Elencho Princeps* ille *Philosophorum* abstineat, ut quos alio loco jam vicit, hîc oppugnare planèque triumphare non desistat. *Conf. L. l. Φυσ. α. p. & 1. Metaphys. & c. Platoni* desinat methodus nostra dici *jucundissima, & reverà firmissima; optima modestissimaq.* Habeat ille suum sibi simile: *Medici, inquiens, tradunt, salubribus epulis non prius nutrirî corpus, quàm impediri pellantur. Similiter isti non prius egregias doctrinas conferri ani-*

1.)
De commendatione H. Grotii.

2.)
De emendatione Ejusdem.

Plato in Sophista.

ma censent quàm redargutus is qui erat, erubescat, repulsisq; doctrina impedimentis, falsis videlicet opinionibus, purus evadat, nec alia, præter illa quæ nescit, nosse se putet; Quia Agricola (quæ novæ sunt Pufendorfii similitudines, h. l.) paleas unâ cum frumento puro laud quicquam in granaria recondunt; nec si abs coquo cibus sordes aut pili sunt admixti, hi non solent in peculiari patina apponi, sed furcul & semel abjiciuntur. Atverò quæ frumento à paleis confusio, convivatoribus à fordibus nausea; ea discenti à refutatione antitheseos metuenda non est; potiùs opposita juxta se posita, magis (quæ claritas quæritur, quæ jucunditas) elucescunt. Modus tamen & hic servandus est. Hinc Grammaticos & Mathematicos, qui nobis objiciuntur pag. 250. imitati non alia ψυδαγματῶ in illo Collegio, quàm quæ ab Adversario nostro (H. Grotio) commissa erant, annotabamus.

§. 9. Pollicebar 2.) *Compendium J. N. & G. Orthodoxum*; quod nova planè & mira creatura est Censeri, eod. §. *Erid. p. 251.* Tametsi verò fidem meam jam liberavi apud eruditum orbem, longèquæ benigniora (præfiscini!) Maximorum virorum judicicia audire necessè habui; nihil tamen eorum, quæ à Pufendorffio hîc moventur, sicco pede transiliam, postquam Caput primum propè ad finem perduxero. Eò enim illa omninò pertinent. Jam satisfaciendum adhuc est quæstioni proœmiali *Ibid. p. 252. Ex quo privilegio mihi hac arrogem, ut si sanæ rationi innituntur meæ hypotheses, ipse ratione melius, quàm cateri omnes usus judicari debeam? Quò insolentior verò hæc est quæstio, pueris rixantibus aliàs non infrequens; eò paratior est responsio; Nullis enim opus est ambagibus, ad excusandum me aut defendendum. Sufficit intorquere telum in Adversarium, & ex eo iisdem verbis quærere: Ex quo privilegio sibi hac arroget, ut, si sanæ rationi innituntur ejus hypotheses, ipse ratione melius quàm cateri omnes usus judicari debeat? Nimirum fiduciâ bonæ causæ nitimur uterq; inque Bono publico promovendo nullâ re minus quàm arrogantiam, si juris Nostri non fuerimus immemores, certare debemus. Quis autem alterò rectius usus sit ratione, judicent prudentiores. Ego mihi nullam, omnem autem Deo gloriam lubens meritoq; adscribam atq; vindicabo.*

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De

THESI MEA PRIMARIA EJUS- QUE PROBATIONIBUS MODOQUE TRA- CTANDI ORTHODOXO.

§. I.



Thesis mea primaria est: Pura (quod est, vera omninò & distincta) juris N. notitia ex orthodoxa doctrina de statu integritatis hauriri potest ac debet. Ratio præcipua: quia Jus N. est inter reliquias imaginis divinæ, quam homo in statu integritatis habuit. Unde fuit peculiaris tractandi modus, Christianæ Philosophiæ proprius.

II.
Recapitulatio
sententiæ
meæ.

§. 2. Hæc si rectè intelligantur & observentur, clarè indicant, 1.) præsupponi à me discrimen inter Jus N. & ejus notitiam; item, inter duos hujus gradus, alterum perfectiorem, alterum imperfectiorem. Ex his 2.) Jus N. omnibus hominibus adeoque etiam Gentilibus tribuo. Refero enim illud ad reliquias imaginis divinæ, quæ ex indulgentia benignissimi creatoris toti humano generi sunt communes; nec minus 3.) omnibus omninò hominibus adscribo aliquam Juris N. notitiam, infidelibus quidem imperfectiorem; fidelibus autem perfectiorem, cum hi illis de reliquiis aut ruderibus longè exactiorem notitiam habere possint, de toto scilicet, quod in statu integritatis fuit imago Dei, à Spiritu S. facti certiores. Unde 4.) non potest non notitia Juris N. quatenus in perfectiori gradu solis fidelibus propria est, principio, quod illis proprium sit, niti; etsi 5.) præsupponat principium commune, tanquam omnibus hominibus congenitum, habitum scilicet Intelligentiæ, cujus beneficio ab infidelibus etiam Jus N. quanquam imperfectius, cognoscitur.

§. 3. Clara omnia; adeò ut non mea tantum sententia ex his liqvidè sic deduci, sed & antithesis *Panfendorfsis* solidè refutari possit.

F 3

§ 4. In-

II.
Defensio 1.)
Theses primariæ.

§. 4. Insurgit autem hic adversus tria illa omnia, quæ in §. 1. enumeravi; diversis quidem in locis, sed quæ in ordinem, qui *paideias* anima est, à me redigentur eoque decenter ventilabuntur.

(a) contra
object. primam.

§. 5. *Adversus Thesin Primariam, objectio prima* §. 1. Erid. p. 252. *Non magis hoc jus ad regendas omnium gentium actiones idoneum erit, quam iste hoc momentum in unam circa sacra sententiam conspirabunt.* Respondeo; ad regimen sufficere posse notitiam innatam, omnibus gentibus communem; quemadmodum hæc sufficit à condito mundo usque ad præsentis seculum; antequam scilicet prima juris N. systemata nascerentur. Christianorum vero propria est sola cognitio distincta; haud aliter, ac principia congenita de Deo sufficiunt omnibus hominibus ad usum pædagogicum; plenior autem & distinctior eorum notitia apud solos invenitur Christianos; etsi per accidens tantum ipsaque gentilium culpâ: quem in modum etiam communiõne fidei salutaris semetipsum privant. Præstabit autem, spero, hanc hypothesein, quæ Jus N. gentilibus ejusque notitiam imperfectiorem relinquit, nobis autem perfectiorem vindicat, quam alteram de socialitate, quæ Jus Naturæ apud utrosque in non paucis corrumpit, assumere atque sequi. Ut taceam de vanitate spei ambiciosissimæ, fore, ut in ullum systema Juris N. & G. quæcumque illud nitatur hypothesei, omnes populi consentiant; vide supra pag. 36.

(b) contra secundam.

§. 6. *Secunda, ibid. Disciplina Philosophica, inter quas & nostra suum proficitur nomen, ad omnes aequè homines citra discrimen religionis spectant, & non aliud principium normamve aliam exigunt præter verum naturam, & lumen sanæ rationis; huic quod congruit verum, quod adversatur, falsum adpellatur; orthodoxiæ & heterodoxiæ vocabula solus Theologis relinquuntur.* Resp. 1.) distinguendo inter scientias & intelligentiam: 2.) inter objectum & principium; 3.) inter principia & *ἐναυ* & *τὸ ἐν ἐναυ*, à quibus pendet, vel esse vel bene esse. Objectum scientiarum & intelligentiæ est rerum Natura, etsi inadæquatam tantum; cum res divinas etiam attingant. Principium *τὸ ἐναυ* utrobique est lumen Naturæ, etsi diverso modo: in scientiis, inferendo conclusiones; in Intelligentia, proferendo axiomata congenita. Principium vero *τὸ ἐν ἐναυ* est in utrisque, maxime

ximè verò in Intelligentia, Theologia Revelata. Ab hoc principio pendet orthodoxia & heterodoxia in Philosophia. Si enim illud negligimus aut in erroneum (Hæreticorum) incidimus, heterodoxè philosophamur; si verum ac genuinum assumimus & sequimur, orthodoxè.

§. 7. Tertia §. 12. Erid. p. 252. Hæc hypobefis illis, quibus Jus N. (c) contra tertiam. pars articuli de Lege in Theologia constituitur, hoc est, Christianis, non aliis hominibus, nec illis, quæ homines, sed quæ Christiani sunt, tantum quadrat. Resp. concedendo; sed sub limitationibus §. 2. adductis; ut solis Christianis, nisi sola perfectior notitia Juris N. ne tribuatur.

§. 8. QUARTA, ib. Hypobefis mea (orthodoxia de imagine (d.) contra quartam. Dei,) hominibus, ut talibus, non est nota: igitur absurdum est, Christianis dare peculiare principium ejus Juris, quod ipsis commune cum aliis etiam non Christianis esse debet. Resp. me Christianis dare peculiare principium Juris N. quæ hoc ipsis secundum doctrinam pleniorè & accuratiorè proprium, non, quæ secundum notitiam insitam omnibus hominibus commune est. Confer superius §. 2.

§. 9. QUINTA, eod. § Erid. p. 292. Meo principio si unice innitè (e) contra quintam. velint Christiani, idem Jus apud alios non Christianos adversus se inutile & inefficax facient. Resp. concedendo, si unice. Ego verò nunquam Autor fui Christianis ad hoc faciendum. Agant foris cum gentilibus secundum principia practica congenita, domi vero inter se, juxta notitiam eorundem pleniorè; ibique sic principium commune, hinc proprium sequantur; usque dum illi, si tanta est speranda consensus; in hoc conspirent.

§. 10. SEXTA, ib. p. 253. Status integritatis, qui inter duos homines (f) contra sextam. ad breve tempus, fuit, breviterque in S. Literis, nulla mentione Juris N. facta, descriptus est, non potest esse norma tam variarum actionum, quæ in genere humano multiplicato certum regimen desiderant. Resp. brevitate perfectione compensari; & ad hanc, non ad illam, in norma respici. Acus magnetis innumeras naves in diversis cursibus; horologium totam civitatem in variis functionibus dirigit. Tametsi verò vocem juris Nat. de homine In-

Integro in S. Literis non legas; rem tamen imagine Dei, expressâ in homine, involvi nemo dubitat.

(8) contra
septimam.

§. II. SEPTIMA, *ibid.* *Integer homo non potest esse norma corrupti; quia ex divinis literis demonstrari non potest convenientia in institutis, negotiis, &c.* Resp. Me liberaliter cum dubitante acturum, ac concessurum esse diversitatem in non paucis institutis, negotiis &c. Solus enim homo lapsus habet servos, suscipit bellum &c. Illos tamen regere, hoc gerere debet ad analogiam societatum & actionum statui integro propriarum, ut benignè, justè &c agat. *Vide Compendii mei part. prima cap. 1. §. 59. seqq. & Secundam passim.*

2.) Defensio
Rat. primæ &
pii ariz.

§. 12. Hæc de thesi mea primaria. Adversus *rationem palmariam* excipit 1.) *Erid p. 253. Assertionem banc: Jus N. est inter reliquias imaginis divinæ; in sacris Literis totidem verbis non exare.* Resp. Quid tum? Nemo enim hoc, ne in fundamentalissimis quidem fidei articulis, requisiverit, nisi *Arnoldus, Gonterius, aut Veronius, Jesuitæ in Gallia, aut qui cum iis fecerit.* Horum enim est *methodus illa nova, requirentium, ut verbatim à nobis omnia in S. codice ostendantur.* Credo verò ego, mihi rem jam esse cum consanguineo fidei mez. 2.) *ibid. Pari ratione dici posse v.g. Arithmeticam, Geometriam, Physicam & alias scientias esse reliquias imaginis. Nam Albertus utique n. 2. reliquias imaginis divinæ etiam in principiis theoreticis consistere dicit. Nemo tamen ideò dixerit; Christianis puram Arithmeticam &c. notitiam hauriendam esse è doctrina Orthodoxa de statu integritatis.* Resp. largiendò, dari principia theoretica congenita, eaq; esse è reliquiis imaginis divinæ; vide part. 1. Compend. mei cap. 2. §. 4. nego verò consequentiam in præsentî negotio à theoreticis ad practica & vicissim. Utraq; quidem, cum sint nobis interna, exterius admittunt illustrationem & confirmationem. Sed in eo differunt, quòd theoretica sufficientissimè imò abundantissimè per sensuum testimonium declarentur. Quem in modum visu & tactu deprehendis, totum esse majus suâ parte &c. Hinc non opus est, respicere ad hominem integrum, quomodo ille his principiis fuisset usus aut usurus. Quid verò practicis cum sensibus? Quis ex his docere poterit, quomodo suum cuique tribuendum, nemo lædendus &c.

&c. Hinc si tutissimè rectissimèq; procedere volumus, oportet nos ad eum oculos flectere, qui talem se exquisitissimè gerere potuit, solusq; fuit homo integer. Etsi & alia exempla pro modulo suo in exemplaria abeunt, & à rectis ingeniis cupidissimè inspiciuntur; in quo tacitum instinctum ad investigandum exemplar nostrum consummatissimum latere, non temerè quis crediderit.

Secundæ.

§. 13. SECUNDA RATIO mea: *Cum omnes reliquæ imaginis divina in nobis non tantum sint corruptæ, sed & à nobis corruptè tractentur, emendanda ille sunt ad normam status integri.* Excipit §. 13. Erid. p. 254. si in *Aritmetica* &c. absq; hoc subsidio certa dogmata dantur; E. etiam in *disciplina Juris N. Resp.* 1.) negando consequentiam à scientiis ad nostram disciplinam Practicam; secundum dicta modo, §. antecedente: 2.) distinguendo inter gradus certitudinis in dogmatibus Practicis. Inferiorem non invidemus Luminì Naturæ, sibi relicto; superiorem verò ei ad ductum Luminis Gratix pollicemur. Cur verò objectionem, quam ipse sibi eod. §. *ibid.* movet, non nisi nudè negando removet? *Neque est, inquit, quòd quis objiciat, præcepta legis naturalis in S. scriptura contineri, aliarum disciplinarum dogmata non item.* Si hoc nihil est, cur ipsemet §. 14. pag. 255. *quæ à Philosopho ope Rationis sciuntur, in divinis literis traduntur, ex ea conspiratione tradita Philosophica mirè illustrari, certum esse dicit?*

Tertiæ.

§. 14. TERTIA; *Quia Grotius. ex erronea hypothesis de statu integritatis L. II. c. 1. §. 2. Jus N. corruptit, nos ex hypothesis orthodoxa id emendare debemus.* Excipit §. 14. Erid. p. 255. per inversionem: *solo hoc exemplo apparere, quantis disputationum vorticibus Jus N. per methodum meam implicandum sit.* Resp. distinguendo inter usum ejus & abusum. Tollatur hic & maneat ille. Accedit, *Grotium hæc de statu integritatis emblemata à Socinianis mutuatum esse: quòd jam olim è nostris observavit Dorscheus, Theolog. Zachar. parte 1. cap. 8. §. 148.* Varius enim per omnem vitam fuit in negotio religionis, adeò ut cum Socinum impugnaverit prius ipse, pessimè sentientem de satisfactione Christi, post Crellio patrociniùm Socini in se recipienti gratias per epistolam egerit; quæ extat *Tomo IV. Oper. Crellii pag. 232.* Quantillus autem est Socinianorum numerus, si conferantur cum Orthodoxis,

Grotij
Lach.

G

cum

cum Pontificiis & Calvinianis? quos in doctrina de parte morali, imaginis divinæ consentire certum est; juxta observationem meam in præfat. part. 1. *Compend p. 17.*

*) Defensio
modi tractandi.

§. 15. Hæc de probationibus meis. Tandem etiam insurgit adversus *modum tractandi*, quem in tradenda distincta Juris N. Notitia adhibendum esse dixeram.

(*) in genere.

§. 16. Præmiseram hîc aliqua de privilegio Christianæ Philosophiæ, quod præ gentili aut in se spectata, multa cognoscatur ex Theologo de rebus ad se spectantibus, antequam judicium de iis ferat ipsa; adjunctis etiam exemplis, quæ è Logica & Physica Christianorum desumerem. Nihil horum ad palatum *Pufendorffii Erid. p. 255. Nam Philosopho, ut sit Christianus aut Gentilis, orthodoxus aut heterodoxus, æquè accidit, atq; eidem accidit, ut sit Germanus, aut Gallus, aut Anglus; aut uti Musico contingit, barbato aut imberbi esse. Nec ideo tamen vera Philosophia magis Religione aut nativitate, quam Musica barbitio distinguitur.* Resp. distinguendo inter baculum & angustium. Plura non opus est adjicere. Qui enim triti illius in sermone Logicorum proverbii de falsis consequentiis recordatur, non potest non diversitatem inter Christianismum & barbitum &c. h. l. observare. Verum quidem est, hæc omnia, tanquam accidentia Philosophi, de essentia Philosophiæ non esse. Solus tamen ex his omnibus Christianismus ad *res divinas* sive benè esse ejus, multum confert. Tam clarum atq; certum hoc est, ut ipse *Pufendorffius tradita Philosophica ex conspiratione cum sacris Literis mirè illustrari, fateatur ib.* Sed quam lucem illis à barbitio, etiam si hircus in Platonem converteretur, promittere poterit? Hæc verò una tantum est perfectio Philosophiæ Christianæ, quæ intensiva dici potest. Altera est extensiva, pendens à notitia eorum, quæ, non diffidente *Pufendorffio, ibid.* Philosophus non Christianus ignorat. Hæc enim Philosophus Christianus in foro divino semper credit tanquam theses aut assertiones Spiritus S. & in humano nonnunquam convertit in hypotheses certissimarum sententiarum. Quis miretur? Quod si enim Philosophia hodiè, postquam ex historica & probabili relatione eorum, quæ in Indiis aut alibi non pauca veteribus ignota observarunt, quam plurima potest subternere speculationibus suis, in dies ma-

magis magisque perficitur; quis dubitet de longè majori luto ex revelatione, quæ est relatio divina & infallibilis? Nec obstat, quòd in quædam hujusmodi præsupposita, notante *ibid. Pufendorffio*, non omnes Christiani conspirent. Hic enim dissensus tantum est facti, pertinetque ad abusum revelationis, non ad usum. Imò tantum est circa aliqua; adeoque particularis, non universalis. Commodè id ostendi potest in duobus illis exemplis, quæ ego adduxeram, & à *Pufendorffio Erid. p. 255. 56.* impugnantur. De aquis enim supracælestibus, quas secundo loco posueram, aliqui quidem dubitant; sed de unione personali duarum naturarum in Christo, quod est primum exemplum meum, nemo Christianorum ambigit. Abit autem hoc in præsuppositum Christianæ Logicæ in doctrina de propositionibus personalibus; non, ac si in earum materialem quasi veritatem debeat inquirere; ceu perperam verba mea exponit *Pufendorffius*; sed ut præsupposita hac veritate (credit enim Theologo aut potius Deo,) inquirat in formale, referatque eam, hujus NB. respectu, ad inusitatas, non ad proprias aut figuratas. Nullò enim modo inusitata vocantur, quia ratio humana capere nequit connexionem *subiecti & predicati*, ceu *Pufendorffius* putat *ibid.* sed quod nec in quid nec in quale prædicetur homo de Deo & Deus de homine; adeoque hac via novam speciem propositionis novamque ejus formam Logica Christiana inveniat. Nec mirum, inquit *Fonseca* in *L. 7. Metaph. Aristot. cap. 8. qu. 7. sect. 6.* quod novæ species mundo advenirent cum novo esse substantiali, quod verbum divinum pro mundi salute suscepit, quod nec auditum Ethnicis Philosophis erat nec cogitatum. Adeo ut longè alia sit ratio harum propositionum & illarum, quas objicit mihi *ibid. Pufendorffius*: *Rhabarbarum habet vim purgandi: sanguis movetur in circulum.* Hæ enim & innumeræ aliæ pertinent quidem ad Logicam utentem sive Logicæ usum (h. l. in Medicina,) sed non augent Logicam docentem, sive doctrinas Logicas; quia ratione formalis sui sunt usitatissimæ. Nec minùs in Christiana Physica hujusmodi præsupposita universalia inveniuntur, v. g. de concreta olim singulis corporibus materia; quæ hypothefi innixa Christiana Philosophia securissimè impugnare potest communem & pestilentissimum gentilium

Philosophorum errorem de materia Deo coæva; *item, de creatō olim mari; quō præsupposito Physicus Christianus tutissimè abit ab Aristotele, tribuente Mari, ex ignoratione creationis, naturam meteoricam, &c.*

(6) *In specie.*

§. 17. His præmissis dixeram r.) intelligi posse modum, quo abstrahendum sit à revelatione status integri in doctrina de Jure N. Illum nimirum à Christiano Philosopho exactè cognoscendum, cognitum autem non proponendum, sed tantum præsupponendum esse, ut in iis, quæ sui fori sunt, procedat rectius ac tutius. *Exceptio Prima: Ejusmodi modum abstrahendi habens in Philosophia inauditum fuisse; §. 15. Erid. p. 257. Ref. nos termino abstractionis usus esse per ουνκαταβασιν quendam cum Adversario, propriumque sensum, quem perperam ille adhibuerat, benignè mutasse in improprium, ut abstractionem à statu integritatis, unâ cum ipso, suo modo admitteremus. Nimirum habitum, ceu falsus sum. supra in præfatione, ante oculos præloquutum ejus, quod ad Lectorem instituit ante Libb. de officio hominis & civis juxta L. N. in quo abstractio utramque paginam facit. Si qua, inquit, in disciplina Juris N. præsupponantur ex eo, quod per rationem investigari potest, illa propterea à iis, quæ Sacra litera super eadem re liquidius tradunt, nequaquam opponuntur, sed tantum ABSTRAHENDO concipiuntur. MOX: in disciplina Juris N. ABSTRAHENDO ab illa cognitione, quæ ex S. Scriptura hauritur, formatur conditio primi hominis. Item: apparet, quod Jus N. nequaquam dogmatibus vera Theologiae repugnet; sed tantum à quibusdam ejus dogmatibus, quæ per solam rationem investigari nequeunt, ABSTRAHAT. Videns itaque ego, hujusmodi abstractionem, propriè scilicet talem, hîc locum invenire non posse, vocem à Pufendorfo adhibitam retinui quidem, sed sub tali descriptione, quæ significationem propriam in impropriam manifestè converteret; haut aliter ac Spiritus S. relinquit Magistratibus titulum Deorum, sed qui morituri sunt sicut homines, Psalm. LXXXII. 6. Est enim in hujusmodi locutionibus tacita quædam epanorthosis, adeo, ut eâ involvatur sensus non dissimilis ei, quō in aperta Cicero Philipp. III. 3. Patrimonium, inquit, suum effudit: quanquam non sumus usi eo verbo, quō decuit: non enim effudit, sed in salute Reip. collocavit. Exceptio Secunda;*

cod.

cod. S. Ibid. Philosopho Christiano doctrinam de statu integritatis cognoscendam tantum esse, ut articulos fidei sua plenè teneat, non, ut philosophetur: sicut Medicus Christianus nosse quidem debet, mortem, & quicquid morborum homines infestat, stipendium peccati esse, adeoque à statu integritatis abfuisse, sed ut tamen hanc notitiam in nulla parte Medicina præsupponat. Resp. negando paritatem. Medicina enim occupata est in obtinendo bono naturali; disciplina Juris N. in morali. Tametsi verò utrumque fuit penes hominem integrum in gradu excellentissimo; recuperatio tamen eorum hodiè diversissimæ est rationis. Morale enim, tanquam morale & arbitrarium, in libera consistit imitatione; naturale non item. Intueatur homo corruptus hominem integrum, piè, justè, tranquillè peragentem omnia; nò ille statim videbit, quomodo se huic in actionibus suis conformare eoque ipso præceptis juris N. satisfacere debeat ac possit. Utinam eòdem modo puerperæ & obstetrices, respicientes ad Evam in statu integritatis, dolores in pariendo; agricolæ, memores Adam, ante lapsum, sudorem & laborem in agro colendo, minuere possent! Quod si verò media aut remedia adhuc aliqua locum hinc inveniunt, illa non ab imitatione sed inventione dependent; haud aliter ac Medicus necesse habet vires herbarum totiusque Naturæ excutere, ut morbis utcumq; valeat mederi. Tertia ibid: manifestum esse, hinc novo abstrahendi modo disciplinam Juris N. Theologorum controversiè implicari, & velut tributariam horum imperio subjici. Resp. negando utrumq;: prius; quia ea, quæ h. l. de parte morali imaginis divinæ præsupponuntur, apud Theologos præcipuarum Religionum Christianarum extra dubitationis aleam sunt posita; vide hujus c. §. 14. Posterius; quia gloria obsequii, quæ, in talibus, Philosophiæ Christianæ prægenti relicta est, non pro onere sed honore, non pro damno sed lucro habenda est: quem in modum Logicam & Physicam Christianam à Theologia locupletari, adeoque non tributariam sed beneficiariam ejus esse, ostendi hujus c. §. 16. Quarta ib. hinc viâ nihil aliud quam Theologiam moralem produci; cui quidem status integritatis necessario præsupponendus. Resp. negando. Theologia enim moralis verbo revelato utitur tanquam principio domestico: disciplina

Juris N. tanquam alieno. Illa defumit ex eo theses; hæc hypotheses tantum suas. Erat autem hæc confusio non mihi, quod facit *Pufendorfius* passim sed Scholasticis imputanda, qui moralia nonnulla, fidei propria, Juri naturali imputant; v. g. confessionem peccatorum; apud *Dominic. Soto*, in 4. sentent. distinct. 18. quest. 1. artic. 2. Sed quid illi ad me? *Quinta* *ibid.* p. 258. Est autem planè absurdum, disciplinam magis universalem hypothesis disciplina minus abstracta superstruere. Atque inde, *ibid.* ἀνωτάτων est, disciplinam, quæ de officiis hominum ut talis tradit, hypothesis disciplina, quæ de officiis Christiani ut talis agit, superstruere. Resp. distinguendo inter duplicem subordinationem. Altera fit τῷ θεῷ, secundum esse; altera τῷ θεῷ ἐν θεῷ, secundum bene esse. Illa, subordinatur Musica Arithmetica, Geographia Geometrix &c. tanquam particularis universali; hæc Philosophia Christiana in non paucis doctrinis Theologiæ revelatæ tanquam inferior superiori. Clarum hoc est, exemplò Theologiæ naturalis, cujus Adversarius ipse *ibid.* mentionem facit. Quamquam enim hæc ordine & naturâ prior est Theologiâ revelatâ, & hæc illam, non illa hæc, scilicet secundum ordinem temporis in ordinaria cognitione, præsupponit; Theologia tamen naturalis Christiana quoad bene esse subordinatur omninò Theologiæ revelatæ tanquam inferior superiori, non tantum ratione finis (quod concedit *Pufendorfius* d. 1.) sed & quoad perfectiorem objecti sui notitiam in suo foro. Audiens enim ex Theologia Revelata, v. g. Angelos non esse effluvia sed creaturas Dei; longe rectius tutiusque Theologiâ naturali gentili aut in se spectatâ de iis philosophatur. Ut taceam innumera alia. Idem privilegium est Disciplinæ Juris N. apud nos Christianos, dignum omninò, quod ex merito amemus maximèq; æstimemus.

§. 18. Statueram 2.) hominem in disciplina Juris N. concipiendum esse non alium, quàm sub initium fuit; ut integrum & ad imaginem Dei creatum. Ratio; quia homini Jus N. non aliter inest, quàm prout reliquias imaginis divinæ ex statu integritatis in nos traductas, possidet. *Object. prima*, §. 16. *Erid.* p. 259. Hanc rationem non tantum in Jus N. quadrare,

drare, sed & in quasvis alias scientias rationi superstructas, Arithmeticam, Geometriam &c. Resp. Crambem bis coctam apponi; quam respuimus modo §. 12. & 13. quos vide. *Secunda; ibid. Theologi esse, considerare humanam conditionem, prout olim fuerit; Philosophi, prout hodiè se habet. Illum de homine agere; quatenus de amissa imagine divina rationes reddere debet: hunc; quatenus quod reliquum invenit ex ea conservare ac augere potest. Utrobique hominem corruptum esse similem prodigo, sed ibi, prout examen apud iudicium metuit, adeoque exactam sortis notitiam habere debet: hic, prout in conservationem residui incumbit, nesciens aut negligens, unde id acceperit, aut quantum sub initium fuerit.* Resp. Distinguendo inter bonum fortunæ & morale. De illo concedo ex toto, quod absque notitia aut recordatione facultatum olim possessorum, modò prudens adhibeatur industria, plenissimè recuperari possit: de hoc ex parte tantum; quia perfecta ejus recuperatio in homine corrupto consistit in imitatione perfecti hominis sive integri; ceu jam deduxi *supra §. 17.* Tametsi itaque Philosophus Christianus non agit nec agere debet de imagine divina, prout in foro divino de ejus jactura ab homine corrupto reddendæ sunt rationes; præsupponere tamen eam potest ac debet tanquam normam certissimam, cui actiones nostræ secundum reliquias ipsius sint conformandæ; adeò utin hac consideratione Philosophicâ, imago Dei se habeat idealiter; in Theologica actualiter, etiam secundum culpam commissam pœnamque incursam.

§. 19. Unde vel sole meridiano clariùs patet, nasci ex hoc tractandi modo orthodoxam doctrinam Juris Naturalis, quam cum brevibus nos complexi simus, *Compendium Orthodoxum* vocavimus. *Nec pariterit 1.) hoc innumera alia; quæ Syncretista, ipsique hæretici; imò infideles & Etbnici in lucem sunt edituri; quod est vaticinium Pufendorfii, §. 11. Erid. p. 251.* Convenit enim nobis cum præcipuis Christianorum factionibus super parte morali imaginis divinæ; statuentibus illis unà nobiscum, hominem integrum fuisse virtutibus examissim imbutum; quod jam aliquoties observavi. Longè gravius certiusque imminet periculum non tam Reipublicæ literariæ quàm toti humano generi, ex hypothe-

Corollarium de titulo opusculi Mei, quæ est: Compendium orthodoxum Juris N.

pothēsi *Pufendorffii*, si socialitas habeatur pro fundamento Juris N. Huic enim alii Machiavellisticum, alii Monarchomachicum, alii Statistæ aliud, imò fortè aliqui monstrosum pro monstrosis Reip. formis conformabunt. Ex eadem ratione Mahummedani & Gentiles in utraqve India, si hypothēsin ipsius, quæ videtur spes ejus esse, aliquando assumant, Jus Naturale vetabunt ab omnibus disci; Vide supra *præfat. p. 36*. Tantum abest, ut incrementa inde sibi nobilissima hæc disciplina possit promittere. Mihi verò barbaros illos non opus habuisset objicere, quia tam ambitiosam spem de opusculo meo non foveo. *Nec 2.) transibit hoc exemplum ad alias disciplinas, ut mox quoque habituri sumus Arithmeticam, Geometriam reliquasq; Orthodoxas; ex prædictione Censoris, ibid.* Homo enim integer non potest æquè norma numerorum, figurarum &c. ac actionum Juri Naturali conformandum esse; secundum dicta *superius §. 12*. Etsi non malè faciunt quoque, qui disciplinas reliquas adversus heterodoxias muniunt; quos inter *Autor Metaphysicæ divinæ*, inter Nostros, immortales gratias meretur. Quid verò *Latinitas Ciceronis & Martialis Pœsis ad Orthodoxiam aut heterodoxiam; Erid. pag 251*. Sed his opus erat ad pungendum *Winstrupium*, Scaniæ Episcopum; scilicet, ut clarè constaret, ad Jus N. non requiri à *Pufendorffio* Orthodoxiam, à qua charitas proximi & reverentia Superiorum exigitur.

CAPUT SECUNDUM

De

RELIQVIS ASSERTIONIBUS MEIS.

§. I.

Rostquam vindicavi ea, quæ Thesin meam primariam constituunt, probant & sequuntur; jam earum quoque assertionum, quæ secundariæ dici possunt, patrocinium suscipiam.

§. 2.

§. 2. PRIMA: Inter præcepta Juris N. non pauca statui corrupto sunt propria, ita nimirum, ut hunc quidem solum pro objecto, integrum autem pro principio habeant. Hanc distinctionem 1.) credit Pufendorfus §. 17. Erid. p. 260. Juvenes imperitos magno prosecutos applausu, uspote quibus illa subtilitates quam maximè solent esse admirationi, quæ obscuritate suâ rebus in se perspicuis maximas tenebras offundunt. Sed ubinam captiosa & obscura hæc subtilitas? Num in principio? Num in objecto? Absit, ut tam imperitos habeamus Auditores in Academiis, qui ignorent terminos, vel iis notissimos, qui edita hæc Musarum templa nondum à limine salutarunt. Tameñ verò, quod 2.) *ibid.* monet; Censor, eandem rem paulò post popularibus verbis propono, juvat tamen nervosè per terminos memoriæ mandare ea, quæ prolixius vulgari loquendi modo exponuntur. Quod artificium Pufendorfus ipse alibi adhibere studuit; tantum abest, ut in me illud culpare debuerit; nisi voluisset Rationem Statûs sui sequi, ejusque arcanum non vulgare h. l. prodere; de quo suprâ, in præfatione p. 38. Tandem verò à vocibus ad rem ipsam progreditur, & quasi cornuto syllogismo me petere vellet, arguit p. 261. 3.) aut ista axiomata homini in statu integro actu inhaesisse, aut demum post lapsum in animis hominum enasci capisse. Sed quæ maximè in hujusmodi argumentationibus addenda & attendenda est, probatio deest. Illud enim quod subjicit: *utrumvis asserere velis, rem non exiguis implicatam tenebris deprehendes*; nuda est accusatio, quæ non sufficit. Nec mirum est, ei, qui culpâ suâ caligat in sole, lucem pro tenebris haberi. Clarum enim atque certum est, axiomata ista partim homini in statu integro actu inhaesisse, & in nos unâ cum reliquis principiis congenitis propagata esse; partim apud Christianos ex cognitione status integri purissimè resultare. Prioris generis est vulgatum illud: Superiori est parendum; quod cum hominem integrum obligaverit Deo, aut etiam Magistratui justo, qui solus tum existere potuisset; corruptum subjicit, in Tyrannide, injusto; in herili societate, Domino &c. Posterioris sunt ea, quæ tenebras Pufendorfo b. l. offuderunt: quibus modis hominum egestati succurrendum, quâ ratione in defunctorum

bona succedendum, quæ tutoribus adversus pupillos obligatio &c. De his enim, quoad æquitatem naturalem, clarissime constat Christiano, oculos reflectenti ad hominem integrum, suamque inde normam mutuò petenti. Illum enim si observes per liberalissimam rerum suarum communicationem fuisse beneficentissimum; non potes non sentire, Te hodiè ad imitationem obligatum esse eò magis, quò durius est telum, quod proximum tuum ferit, necessitas & indigentia. Hæreditates, actiones tutorum, sententias judicum, pœnas, bella, fœdera innumeraque alia rectè se habere debere, intelligimus, quando audimusea, quæ statui corrupto propria sunt, hodiè nisi ad Analogiam statûs integri, fieri non posse, nisi in Jus N. impingere velis: quam obligationem clarissimis Axiomatibus expressi *Compend. part. 1. cap. 1. §. 59. seqq.* & exemplis in parte 2. aptavi passim. Quibus observatis evanescit apprensus contradictio, quam mihi imputat *Pufendorfus Erid. p. 261. vide infra cap. 3. §. 3.*

Secunda.

§. 3. SECUNDA: Vis obligativa statûs integri ad Jus N. refertur hodiè in multis normaliter tantum. *Exceptio prima §. 18. Ibid. p. 261. Hoc citra idoneam probationem & ineptè dicitur. Perinde ac si quis dicere velit, regulas curandi morbos per extensionem quandam ex dieta sani hominis provenisse; aut dietam febrisitantis ad dietam sani hominis normaliter referri. Item §. 21. Ibid. p. 264. ut ista normaliter in statu integro contineantur, non magis accuratè dici arbitramur, quàm si quis regulas curandi morbos normaliter referri ad regulas dietæ, quæ in sanum & robustum hominem cadit, asserere velit. Resp. negando consequentiam à disciplina Juris N. ad Medicinam, & viceversa. Illa medetur morbis Ethicis, hæc Phycis. Illa bonum morale, hæc naturale studet recuperare; quorum illud imitatione tantum, hoc inventione omninò opus habet. Quod si verò daretur Æsculapius, qui è doctrina orthodoxa de statu integro, in quo solo corpus humanum nulla ex parte corruptum invenit ac intuetur, vel unicum ex arbore vitæ surculum aut folium ingeniosissimâ speculatione suum facere posset, nã ille esset *ἰντερός πῶλλῶν ἀνδράζων & ἀλλῶν*. Sed vã ægrois, qui nisi ab hujusmodi Medico nolint sanari! Confer *su- præ,**

præ, cap. 1. §. 17. Secunda Erid. p. 262. Longè petitum esse illud normaliter, ut tantum ad tuendam utcumque thesin id sit inventum, non quod reverà aliquid inde proficere hac disciplina possit. Resp. si accusare sufficit, quis erit innocens? Quò tritò Tertia etiam exceptio ibid. iterumque pag. 265. de obscuritate & insufficientia Regularum mearum, justissimè rejicitur. Deducendum enim id erat; aliàs citra idoneam probationem (quæ sunt verba Pufendorfi Erid. p. 261.) & ineptè dicitur,

Tertia.

§. 4. TERTIA: Jus N. vel maximè vim suam & efficacitatem exerit in actiones hominis interiores. Ubi 1.) frustra *Erid. p. 262.* me ablegat ad ea loca *Operis sui de J. N. & G.* quibus ad actionem moraliter bonam requirit interiorè bonitatem, pendentem a fine; hujus enim certissimi vulgatissimèq; requisiti ignorationem aut negationem nusquam ipsi imputavi. 2.) Excipit *ibid.* Jus N. ex sententia sua non omni, sed magna ex parte tantum ad actiones hominis exteriores referri, adeoq; ab eodem etiam interiores animi motus non planè insuper haberi. Resp. Verte: sic fiet calceus. Centrum enim, ad quod omnia Juris N. præcepta collineant, est honestas, verè talis. Hujus subjectum primum est motus interior, è quo rectè se habente derivatur illa in actiones exteriores. Hinc illum magnà, quid? maxima aut præcipua ex parte Jus N. dirigit. Adeo sic constet non tantum, quàm graviter in mensura aberret *Pufendorfius*, tribuens Juri N. hoc loco minus quàm par est; sed & quomodo a nobis limites inter Theologiam moralem & Jus N. nullo modo moveantur. Doceat illa sola, in foro scilicet divino, quomodo actiones nostræ respectum habeant ad Deum, ejusque voluntati (revelatæ) congruant vel non congruant, & quæ remedia sint propitiando Deo ad expiandas, quæ tam variè committuntur, à lege aberrationes; Quibus verbis Theologiæ moralis officium d.l. describit *Pufendorfius*: nihilominus Jus N. coram tribunali conscientiæ exiget à nobis per præcepta sua rectitudinem in omnibus actionibus nostris adhibendam. Ad hoc plenius intelligendum notetur discrimen inter duo fora externa, & unum internum, quibus actiones nostras approbare tenemur. Externorum alterum est divinum, alterum humanum. Internum est conscientiæ in uno-

quoque homine; quo titulo *H. Grotio* passim dicitur in *libb. de J. B. & P.* Similiter distingvendum est inter legem naturalem, & positivam divinam atqve humanam. Hæ omnes in omnibus foris obligant, sed diversimodè. Humana quidem non egreditur forum humanum, nisi oblique, quatenus naturalibus & divinis positivis nititur. Hæ verò ejusdem ubique ponderis sunt de jure, ita tamen, ut cum positiva divina obliget demum, postquam est promulgata, naturalis lex, *qua non scripta sed nata est, ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus* (*Cic. in orat. pro Mil.*) statim in foro interno vim exerat suam in omnibus omninò hominibus, indeque vel maximè rectitudinem motuum interiorum requirat. Sed huc respicere neglexit *Pufendorfius*, seductus à socialitate, quæ in foro humano invenitur, & in exterioribus acquiescit. Vide *suprà, p. ration. p. 835.*

Quarta.

§. 5. QUARTA: Nonnulla præcepta Juris N. negativa etiam in statu integritatis suum invenerunt & multo magis, si fuisset continuatus, habitura fuissent locum. Homo enim integer etsi vires haberet semperque habiturus fuisset sufficientes ad implendam legem, exercitium tamen earum in libertate ejus erat positum, ut posset uti perinde iis ac abuti. Quæ hîc (1.) excipit *Pufendorfius*, proveniunt ex ignoratione Elenchi. Cum enim per cavillum (de quo in *cap. 3. §. 5.*) vocolam perinde accepit de omnimoda æqualitate, ac si ego statuerim, *hominem integrum in æquilibrio ad bonum & malum fuisse constitutum, ut non magis in bonum quàm malum propenderit*; opponit mihi hominem regeneratum §. 20. *Erid. p. 264.* quò sanè homo integer multo fuisset rector & ad exercitium virtutis pronior instructorque. *Ἀπεσοδὲν ἔστιν.* Mihi enim, cui imago Dei utrosque implet oculos in toto hoc argumento, ne per quietem quidem in mentem venit hujusmodi æquilibrium, statuenti saltem loquentique cum *Augustino de civit. Dei L. ult. cap. ult. Liberum Arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuisse non peccare, sed potuisse & peccare*; etsi ad illud longè magis quàm ad hoc fuerit dispositum. Clara sunt omnia, tum ex libertate contradictionis & contrarietatis in genere, ad quas non requiritur æqua in utrumq; propensio,

fio; tùm ex verbis meis in specie, quæ proximè subjeceram: *Non erat is, iniquiens, homo integer, qui non possit peccare, sed qui posset non peccare.* Quoispo inter dignitates imaginis divina differabat hæc ab immortalitate, impassibilitate ac tranquillitate conscientia, quæ sic homini integro inerant, ut eis pro arbitrio suo (immediate) abuti non posset. (2.) Putat me *ibid.* præcepta negativa juris N. in statu integritatis perperam probasse per legem divinam positivam: *dé ligno ne comedas.* Atverò argumentatus ego sum non ab exemplo, sed à comparatis hōc sensu: in statu integritatis obtinuit lex positiva negativa: E. idem Status præceptis Juris N. vetantibus non fuit destitutus. Hoc cùm clarissimum sit è contextu, in quo præcepto illi divino positivo manifestè oppono præcepta naturalia vetantia; clarius tamen id ipsum expressi *part. 1. Compend. §. 46.* (qui in MSto est §. 25. hic à Pufendorffio impugnatus,) *not. 999.* in qua signatis verbis hanc legem voco *divinam positivam pag. 49.* Consequentia verò ipsa talò nititur firmissimò. *Sicut enim Protoplasti per esum ligni veriti statum integritatis amiserunt: ita eundem per quodcumque mortale delictum contra Jus N. commissum perdidissent; Dominic. Soto in 4. sent. dist. 40. quæst. un. artic. 3.* ideoque non minùs ab his peccatis quàm ab illo præceptis negativis fuerunt abstrahendi. Quæ sententia conformis est communi Nostratium placito, statuentium, Jus N. in Decalogo, maximam omninò partem per præcepta negativa, esse repetitum; etsi Pufendorffius hic quoque diversum sentiat, & pleraq; præcepta Decalogi materialiter tantùm ad Jus N. referat *L. VIII. de J. N. & G. cap. 1. §. 4.*

§. 6. QUINTA: Nonnulla præcepta Juris N. in ipso statu integritatis ad plura objecta fuisse extendenda, probat matrimonium inter fratrem & sororem, quod in illo æquè ac in corrupto sub initium fuisset licitum, post, multiplicatis hominibus, prohibendum. *Exceptio §. 21. Erid. p. 265. Prohibitionem talis matrimonii non esse legis naturalis sed positivæ.* Resp. distinguendo 1.) inter hujus legis sanctionem & repetitionem; & 2.) inter Jus N. primævum & secundarium. Nimirum lex hæc repetita quidem est à Deo *Lévit. XVIII. 9.* aliisque Legislatoribus; sed non lata, cùm ad Jus N. secundarium pertineat. Vide *Zieglerrum in Grot. Lib. 1. cap. 1. §. 10. p. 53.* Confer. *Compend. mei part. 2. cap.*

Quinta.

10. §. 14. pag. 176. Illis enim omnibus causis, quæ apud *Pufendor-
fium* *ibid.* p. 262. prohibitionem istam dicuntur peperisse, præfere-
nda est communio sanguinis, proximi in linea collateralis gradus,
cujus rationem, quàm primum fieri potuit, Natura habere jussit;
quod & homines integri, ex eadem causa, in hoc casu fecissent.

§. 7. Tandem aggreditur etiam Regulas ipsas, quas ex
hypothesi mea deduxeram, easque *accusat* 1.) *multitudinis & an-
xietatis* §. 22. *Erid.* p. 265. sed absque probatione. De anxietate quid
somnia? cum eas sponte venisse mihi, verba non minus ac res
ipsæ testentur. Numerum autem earum, post quatuor genera-
les, æquavi circumstantiis moralibus; quæ & ipsæ in hoc nego-
tio multum habent in recessu. Satius itaque fuit, his tanquam
fundamento immoto & ab omnibus admisso annumerare qua-
si regulas distinctissimas, quàm unâ non tam comprehendere
quàm confundere omnia. Ea sanè, de qua gloriatur *Pufendor-
fius* *ibid.*, nullaque est alia, quàm quæ totum Jus N. ad socialitatem
refert, reverà est regula Lesbia, quæ præposterè illud huic com-
mensuratur. 2.) *Negat* *ibid.* *has regulas meas esse partem Theologie
Orthodoxæ circa statum integritatis, sed à me excogitatas fuisse ex colla-
tione præceptorum Juris N. quæ in statum corruptum cadunt, cum statu
integro.* Resp. concedendo. Non enim debent hæc regulæ esse pars
Theologiæ Orthodoxæ, sed ejus tantum thesibus tanquam hypo-
thesibus suis inniti, quando statum corruptum cum integro,
tanquam normatum cum norma sua, compono. Tandem *bis re-
gulis* 3.) *lb.* p. 266. *cripit* officium & usum, verarum regularum, cum
illum, qui iis niti velit, aliunde *Juris N. disciplinam didicisse oporteat.*
Resp. Distingvendo inter notitiam confusam & distinctam. Il-
lam cum afferat forte aliunde, hanc efferet ex genuino harum
regularum usu certissimè. Sed quid opus est defensione earum,
cum Censor, jam aggressurus eas, campum deserat, taciteque ro-
bur illarum agnoscat atque fateatur?

Nullum cum victis certamen & atbere cassis.

CAPUT

CAPUT TERTIUM

De

IIS, QUÆ PASSIM IMPUTANTUR MIHI à CENSORE.

§. 1.

HÆC duplicis sunt generis. Alia enim in intentione, alia in disputatione vitia videor ipsi commisisse. Illa sufficienter jam declinavi in *prefatione*; hæc verò breviter jam discutiemus.

§. 2. PRIMUM ex his est crimen falsi, quod mihi tribuit §. 16. *Erid. p. 259*. Dixeram nimirum, hominem hōc locō non alium, quam sub initium fuit, concipiendum esse, non ut terræ filium, non ut casu in illum projectum &c. Hæc cum in se dicta putet *Pufendorfius*, exclamat *d. l. de suo affinxit mihi Albertus hoc vocabulum* (casu;) *Nam id quidem d. l. in meo libro non extat; sed dico utcunqve seu undecunqve projectum*. Resp. nullo indicio constare, me, cum hæc scriberem, ad solum *Pufendorfium* respexisse. Sed lupo ante clamorem festinat. Quod si verò attendisset ad ea vocabula, quæ proximè præmissi, rejiciendo speculationem *de homine, qui sit orbis indigena, (ἀντόχθων) aut terræ filius*, mihi potissimum ante oculos fuisse Epicureos, conjecturâ affectus fuisset. Hi enim hominem ex uteris terræ nescio quibus editum somniantes, in hōc primævo statu longè miserimō Jus, tanquam Hobbessii aliorumq; Prodrōmī, ex utilitate & necessitate derivabant: quemadmodum & horum erat dictio: *hominem nudum & inermem, tanquam ex naufragio* (adeoque casu) *in hujus vitæ miseriis projici & expelli*; apud *Lactant. L. de opificio Dei cap. 3*. Audiatur verò *Pufendorfius* disertissimi hujus Doctoris sententiam adversus eos, quibuscum loquitur, mutatâ saltem voce, *casu*, in agnatas particulas, *utcunqve* vel *undecunqve*: *Qua*, inquit, *cum dicunt, vehementer sapere creduntur: Propterea quod unusquisque inconsideratè sua conditioni ingratus est. Ego verò illos nunquam magis despere contendo, quam cum hæc loquuntur. Considerans enim conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuisse, quam factum est;*

Eorum, quæ inter disputandum commisisse dicor, vitiorum Primum.

est; ut non dicam, potuisse; quia Deus potest omnia; sed necesse est, quod illa providentissima Majestas id effecerit, NB. quod erat melius & rectius.

Secundum.

§. 3. SECUNDUM est contradictio, sed apparens; *Ibid.* p. 261. §. 17. in fine: Vix satis sibi constat Albertus. Nam nuper dixerat, talia axiomata (Juris N. quæ statui corrupto propria sint,) nobis post lapsum connasci, quæ nunc apud Christianos ex cognitione status integri resultare pronuntiat. Resp. enim, oppositionem hanc non de eodem subjecto, ideoque reverà nullam esse. In prima nimirum propositione præcepta illa, quæ in statu integritatis expressa fuere formaliter, & ad plura hodiè objecta normaliter extensa sunt (v.g. superiori parendum esse &c.) dicuntur nobis connasci; in secunda de iis, quæ in solo statu corrupto extant formaliter, & ab integro normaliter tantum dependent, affirmantur, quod apud Christianos ex cognitione status integri resultent; qualia sunt illa omnia, quæ in parte 1. Compendii mei, cap. 1. §. 56. seqq. leguntur, v.g. quicquid ex hypothesi status corrupti, urgente tempore aut loco, necessario faciendum est, illud juxta Analogiam status integri orthodoxè expositi Jus N. nos facere jubet. Et: quicquid in hujusmodi casu juxta Analogiam status integri orthodoxè expositi fieri nequit, id vetat Jus N. quæ duo agmen claudunt d.l. §. 66. Confer supra, cap. 2. §. 2.

Tertium.

§. 4. TERTIUM debet esse ἀκυρολογία quædam, quâ inhonestum eò ipsò, quò præcipitur honestum, actu, obliquè prohiberi dixerim, cum latius fuerit, implicitè dixisse; §. 20. *Ib.* p. 263. Resp. 1.) in impresso exemplari *Compend. part. 1. cap. 1. §. 43.* desideratam extare voculam, implicitè, etsi in MSto, quod ante oculos habuit Censör, forte legatur, obliquè. 2.) Hujus etiam vocis, si vel absque errore calami ex ore meo à scribente fuisset excepta, me nondum pœniteret: quia ab inhonesto obliquè omnino avocor, eò ipsò, quò ad honestum directè per præceptum affirmativum deducor & impellor.

Quartum.

§. 5. QUARTUM videtur ipsi *ib.* p. 264. *heterodoxia* aut proximus ad eam gradus esse! cum hominem integrum in æquilibrio ad bonum & malum constituerim, asserendo illum viribus suis ad legem implendam uti perinde ac abuti potuisse. Hinc monitum

tum ejus *ibid.* *Caveat Albertus, ne dum circa mea tradita nodum in scirpo quatit, ipse fædo se errore induat, ac statum integritatis nobis plane subvertat.* Resp. Me non nodum in scirpo quatere, sed Censorem ipsum fluctus in simpulo excitare. Hos enim movet præter omnem culpam meam, in vocola *perinde*, quâ non semper exactam æqualitatem significari, vel pueri norunt, qui illam inter adverbia similitudinis referre didicerunt. Sensum verò verborum meorum oppidò orthodoxum vide evolutum *suprà, cap. 2. §. 5.*

Quintum.

§. 6. QUINTUM iterum debet esse *αὐτοεργολογία*, quâ Deum præcepto positivo: *de ligno ne comedas*, Protoplastos à peccato retraxisse, incongruè dixerim. Nam *de ligno comedere*, inquit Censor §. 20. *Ibid. p. 284 peccatum non erat, nisi Deus venisset; eoqve Deus tunc venisset à peccato retraheret; sed efficiebat, ut actus, qui lege naturali peccatum non erat, peccatum fieret.* Resp. unius positionem alterius exclusionem non esse; eoqve ipso Legislatorem (h. l. Deum ipsum,) quò actus in se indifferens inter illicitos transfertur, subditum suum ab hoc simul retrahere. In lege enim ferenda concurrunt apud primum Magistratum, prudentia *σοφιστήριον* & studium monendi civem de lapsu aut delicto, quod, nisi pareat, sit commissurus. Quid itaqve de Deo nobis persuadebimus, legem imponente subditis, quos ad imaginem suam modò creaverat? Quod si verò par pari referre & in singulos apices rigidè inquirere liberet, majori jure non-nihil desiderare possem in hac ipsa censura ejusqve clausula §. 20. *ibid.* in qua Deus præcepto isto effecisse dicitur Censori, *ut actus, qui lege naturali peccatum non erat, peccatum fieret.* An Deum, qui ab omni culpa hic & ubiqve immunis est, decet hujusmodi dictio, quâ ut actus, aliàs indifferens peccatum fieret, effecisse asseritur? Sed soleo ego, si quisquam, hujusmodi Critica abstinere, verbaqve aliorum in meliorem potius quàm deteriorem partem interpretari; cujus humanitatis adversus ipsum Pufendorffium specimina dedi; non applaudentibus omnibus, in *Compend. mei part. 1. cap. 1. §. 27-33-39.* Sed hoc *αὐτὸς ἐν παροόδῳ.*

Sextum.

§. 7. **SEXTUM** ejusdem est furfuris §. 21. *Erid. p. 265.* ubi Censori absurda videtur vox mea, quâ ex honestate in statu integritatis, si continuatus fuisset, æquè ac in corrupto matrimonio inter fratres & sorores prohibendum fuisse dixi. *Hæc enim locutio, inquit, videtur præsupponere, aliquid minus honestum antea usum fuisse frequentatum.* Resp. honestum non opponi soli inhonesto, sed & utili ac jucundo. Hujus tritissimæ doctrinæ si meminisset *b. l. Pufendorffus*, æquior in me dubio præcul fuisset, videns, hunc verborum sensum esse posse, qui etiam ex intentione mea esse debet: hujusmodi matrimonia in statu integritatis non intuitu alicujus commodi, (v. g. oblatius spargendas amicitias &c.) sed studio honestatis prohibenda fuisse. Refero enim ego hanc prohibitionem in utroque statu ad Jus N. secundarium, adeoque non ex utili sed honesto principaliter eam deduco; etsi commoda illa, de quibus Censor *ibidem*, in statu corrupto fortè accesserint. *Conf. supra, cap. 2. §. 6.*

Septimum.

§. 8. Putabam autem, jam clausos esse rivos harum obtreccationum, juxta promissum Censoris *ib. p. 262. §. 22. in fine*; cum subito nova in me procella, sæviens hæctenus in alios, intorquetur *ibid. p. 279.* Dixeram 1.) honestum, quod ad utrumque statum, (integrum & corruptum,) pertinet, esse simpliciter tale, dependenter tamen, uti Jus N. ipsum, à Deo, & actus huic conformes præcipi à Deo, etsi 2.) in se justî sint. Quæ verba adversâ fronte concurrere putat ille, aded, ut contra sententiam meam, ad Jus N. *Dous sic consuleris nihil, si actus illi ante ejus præceptum in se justî fuerint aut injusti.* Resp. distinguendo inter assertiones de re practica & præcepta de eadem; quod discrimen observatu dignissimum tradidi *Prolegom. part. 2. Compendii mei pag. 23.* Hæc duo cum in se sint distinctissima, semper tamen in Jure præceptivo conjunctissima existunt, sive de Naturali sive de positivo sit sermo. *Si de illo:* virtutes (per assertionem) dicuntur bonæ; & (propter præceptum) sunt faciendæ. *Si de hoc:* Ab arbore scientiæ boni & mali (propter præceptum) erat abstinendum; & esus fructuum ex illa arbore (per assertionem,) dicebatur vitiosus. Vides autem ordinem inter assertiones & præ-

præcepta in his duobus Juribus *diversum*, imò *inversum* esse, ita, ut *in exemplo primo*, quod ad Jus N. spectat, assertio ante præceptum, & *in secundo* præceptum ante assertionem ponatur; quod in omnibus horum duorum Jurium exemplis eodem modo contingit. Quid causæ? Nimirum in objecto Juris N. jam invenitur, antequam præcipiatur aut prohibeatur, bonitas aut malitia, indeque ante præceptum aut prohibitionem de eo (*per assertionem*) prædicari potest ac debet. Contra, objectum Juris positivum, antequam præcipiatur aut prohibeatur, est in se indifferens, ideoque prius præcipi aut prohiberi debet, quam (*per assertionem*) bonum aut malum dicatur. His ita se habentibus, non potui non, de Jure N. videlicet locutus, afferere: honestum, quod ad utrumque statum (integrum & corruptum) pertinet, dependere (*ratione obligationis & præcepti*) à Deo; idemque (*ratione sue bonitatis & nostræ assertionis*) simpliciter & in se justum esse. Bonitas enim aut malitia moralis, prærequiritur ante præcepta Juris Naturalis; nullo verò modo ea fert aut ferre potest ipsa. Quæ hic contraditio? Quæ vertigo, quæ correptus videor Censori *ibidem*? Faxit autem Deus O. M. ut rectâ viâ, sine errore, tendamus omnes ad salutarem veritatem, in quæ ea, absque vertigine, ad finem vitæ usque persistamus!



III

SAMUEL PUFENDORFIUS

In

SPICILEGIO CONTROVERSIARUM

Circa Jus Nat. ipsi motarum,
Toto Capite II. a. pag. 357. Erid. Scand. usque
ad pag. 379.

Unà cum Notis aut Responsionibus,
quæ in subjectis numeris inveniuntur, exceptis
illis, quæ in proximè seq. *Parænesi* ad ea, quæ hic in
textu minoribus literis expressa sunt,
dabuntur.

§. I.



Venio nunc ad Dominum D. Albertum, adver-
sus quem quo scriptiois genere urar, ferè
dubius hæreo. Ita enim protervè me (1.)
laceffit,

(1.) *Lapsus ubi? quid feci? aut officii quid omissum est?*
Vetus Versiculus:

Πῆ παρίβλω, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δεόν ἔστι λέγειν.

Fortasse vitium, de quo quereris, si Te diligentè excusseris, in sinu invenies. Seneca VII. de benefc. c. 28.

id iracundiæ & ineptiarum miscer, ut non levi brachio
castigari mereatur. Præsertim cum humanitatis officium

um videtur, nimium suorum libellorum (2.) amorem excutere viro cætera non spernendo,

- (2.) *Seneca Epist. 9. in fine: Nisi sapienti sua non placent. Hanc Philauliam optaverim mihi, si non aptaverim; solitus alias Platonem sequi, qui, teste Hieronymo ad Paulin. T. 3. Epistolar. f. 5. maluit alicui verè discere, quàm sua impudenter ingerere.*

& amarius aliquod antidotum opponere nimis saccharatis amicorum (3.) encomiis,

- (3.) *In præfat. part. 2. Compend mei pag. 9. prædixi fore, rumpantur ut illa Memo, cum ex Amicorū epistolis unam, ad quam obliquo oculo hic respicitur, subiecturus essem ibid. pag. 13. Absit omen! Placet mihi aliàs illa magnitudo animi, celebrata Plinio Epistolar. l. 22. quæ nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert: resteg; facti non ex populi sermone mercedem sed ex facta petit.*

qui de osculando ipsius Compendio immoriuntur, Contra non est, quare id servitutis mihi imponi patiar, ut cujusvis scabiei scalpente (4.) mihi utique vacandum sit.

- (4.) *Cicero pro P. Sextio: Nec est ea medicina, cum sana parti corporis scalpellum adhibetur atq; integra; carnisicina est ista & crudelitas.*

Ac spes est, bonam mentem ultro subituram, postquam ab Asinio Tenebrione excitata nubes jam evanuit. Igitur non plura dicam, quàm pro me necessarium est; cætera veteri amicitia (5.) condonabuntur.

(5.) *Litus melle gladius; Hieronym. Tom. II. Epistolar. f. 347. de quadam Augustini epistola, scribens ad ipsum Augustinum. Eoque omissio titulo libelli, nostro Specimini Controversiarum ex parte oppositi, qui μίμνησιν (6.) viro gravi parum decoram præ se ferr,*

- (6.) *Specimen vindictarum adversus Specimen controversiarum edidi. Sic Mari libero Grotii Seldenus opposuit*

Mare clausum; quàm *μυσηνον*, si Viro gravi parum decora esset, castigasset ille in hoc titulo non minus ac latinatatem, quæ minus pura ipsi videbatur esse. Nam ex hac causa *Thalassocraticum* mavult dicere quàm *mare clausum*, in notis suis ad L. 2. de J. B. & P. c. 2. Seldenus verò absq; jactura gravitatis, ipsi honos est Britannix, *ibid.* Præterea perversum (*Horat. Epist. L. II. 1. Dixit adhuc aliquid? Nil sanè. Quid placet ergò?*) respondi ad vers. (*Propert. L. 2.*

Maxima de nihilo nascitur historia.)

quem titulo Speciminis sui subjecerat *Pufendorffius*; mirum ut nihilum redigerem in nihilum; indicando, ad id, quod pro nihilo habetur, responsum esse nihil. Aptè, ceu spero, juxta illud *Homeri Iliad. v.*

ὄπποιόν κ' εἴπωσα ἔπειτα, τοῖόν κ' ἐπαυήσασαι,
Qvale dixeris verbum, tale etiam audies.

circapraefationem ad Lectorem moneo, dictata Ipsius, cum à me conspicerentur, hautquaquam me (7.) ad indignationem commovisse;

(7.) De affectu testatur effectus; cujus enim nisi indignantis sit, dissentienti privatim ac modestè, aculeatam publicè opponere responfionem; commentorum & criminationum titulo insignire meditationes innoxias? Et quid mirum, indignari illum, qui ægrè fert, indignationem (affectum ἦθος χενεῦ, bona indolis, ac natura, secundum *Aristotel. Rhet. II. 9.*) sibi objici?

cujus affectus vestigium libellus meus eo loco præ se non fert. Fastamen mihi fuit non insuper habere horribilem (8) criminationem,

(8.) Diabolum accuso per totum proœmium *suprà p. 39.* homines excuso, tanquam aliquid humani nonnunquam passos, sub *finem ejusdem.* Qvalis hæc criminatio? horribilis prorsus; si *Pufendorffio* liceat in me, quod Proteo in seipsum, qui apud *Virgil. Georgic. IV.*

sua

— — — *sua non immemor artis*
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemq; horribilemq; feram.

velut & ipse sim inter eos numerandus, qui instinctu diaboli disciplinam juris naturæ & gentium cum orthodoxa fide commiserint; nisi forte inter blanditias isti ducitur, in-
 „ terministros Satanæ alios disponere. *Dignitas Juris na-*
 „ *turalis à me violata dicitur, quam Dn. Albertus omnibus mo-*
 „ *dis asserere studet. Quam obscurant,* inquit, *divinam*
 „ *originem juris naturalis ea, quæ de homine in mundum*
 „ *undequaque projecto, inque statu miserimo primum vi-*
 „ *vente fingit.* Ast quàm obscurant (9.) opinionem candoris & ingenii tui, quod in ipso disceptationis limine obscœnum Josuæ Schwartzii carmen resonet? Fingere quid dicitur, vel qui falsi aliquid pro verò venditat, vel qui aliquid, quod ipse falsum profiteretur, tantisper supponit certæ rei illustrandæ gratia. Posteriori sensu ego fingo hominem undecunqve in mundum projectum, ut declararem quam miser futurus esset homo solus in mundo inculto destitutus, & ni peculiari Numinis cura fieri veretur. Ast D. Albertus priorem sensum (10.) mihi affingere non erubescit.

(9.) *Supra p. 34.)* Cimmeriæ tenebræ, sed fictæ. Dum enim ego dicor sensum perversum (10.) imputare Censori, fingenti hominem in mundum undecunqve projectum nã ipse hoc crimen mihi affingit. Quid clarius verbis meis *part. 1. Compend. §. 27. pag. 39.* Cum Pufendorfius hominem in huncce mundum projectum sine artibus & extra societatem miserè viventem ponat locò ~~pro~~ *prospereos sua, hanc tamen satù aperte habet pro non actuali sed ficta, quam oporteat*
 NB. *ita concipi.*

quasi ego fingam; id est, falsò asseram; hominem nescio
 „ unde in huncce mundum coniectum. *De cætero me-*

am

„ *am methodum sequenti non minus divinitas juris natura-*
 „ *lis oculis obversatur, quàm qui in pictura (II.) Compen-*
 „ *diò Alberti præfixa inconnivis oculis defixus hæret.*

(II.) Ego iconicè in titulo atqve Ethicè, juxta proverbium;
 Pufendorffus Ironicè. *Quis rectius? Longè aliud ju-*
 „ *dicium Aristotelis L. 8. Politic. c. 5. de Polygnoto, mores*
 „ *penicillo exprimente: Oportet pueros & adolescentes non*
 „ *Pausonis, sed Polygnoti, aut si quis alius pictor aut fitor mo-*
 „ *ralis (ἠθικός) est, hoc est, mores exprimit, picturas intueri. Et*
 „ *L. de Poetica, cap. 6. Polygnotus bonus morum descriptor (ἀγαθὸς*
 „ *ἠθικῶν φασκῶν) at Zeuxidis pictura prorsus caret moribus. Re-*
 „ *petit hanc ὀμιαύτην Pufendorffus inferius iterum ite-*
 „ *rumq; qui lusus si alterius esset, Viro gravi parum deco-*
 „ *rus ab iplo censeretur.*

„ *Sed nec detrahitur quid dignitati juris naturalis: quod*
 „ *illud ex ratione jam corrupta derivatum eam, adeoque*
 „ *cæcum cæco ducem dem. Sanè corruptela illa non ob-*
 „ *stat, quo minus homo adhuc sit animal rationale, & ma-*
 „ *thematici demonstrationes fallere nescias extruant. Neq;*
 „ *enim viam salutis æternæ ex nostra disciplina investiga-*
 „ *tum imus. Quin vehementer fallitur D. Albertus si pu-*
 „ *tat, aliundè se regulas suas, & canorum illud, formaliter,*
 „ *normaliter, hausisse, quam ex ratione eheu! quam cor-*
 „ *rupta. Sanè, quod accuratiores Theologi asserunt, nec*
 „ *D. Albertus abnuat, phrasi Scripturæ quid imaginis di-*
 „ *vinæ nomine veniat, in talibus constitui nequit, que*
 „ *etiam in hominis non renati animum cadunt. Ex quo*
 „ *rectè inferitur, quæ in divinis Literis de imagine Deitra-*
 „ *duntur, ad doctrinam de jure naturali nihil pertinere.*
 „ *Neque verò in historia status integritatis, quam Sacra*
 „ *Codex describit, vola aut vestigium regularum istarum*
 „ *adparet. Et revera tota ista machina innuitur phrasi ex-*

habuerit ; rationem attuli satis gravem ; quia propositum mihi fuit hanc disciplinam ita generaliter tractare, ut & eadem ad captum Eibnicorum foret. Qui utiq; statum integritatis ignorant, quem ex solis divinis scripturis licet addiscere. Socialitatem autem omnes agnoscunt, aut ad eandem agnoscendam evidentibus argumentis adigi possunt. Spes ampla ; sed quæ jamjam videtur decollare, aut ipse sibi contradicere. Pactum non pactum est ; non pactum pactum est, quod vobis lubet ; Plautus in Aulular. Act. 2. scen. 2.

nescio quæ (14.) de scientia ac fide universali Comeniana ganniens.

(14.) *Suprà p. 36.* Ovum ovo vix similius. *Comenius enim in Via lucis vestigata & vestiganda* linguam universalem & scholas universales, & ex his scientiam & fidem universalem ; sicut *Pufendorfius* disciplinam Juris N. universalem, utroq; scilicet in gratiam omnium gentium promittit. Nec hæc nescit, cui *Tractatus* ille Comenii A. 1668. Amstelodami editus, est notus.

Quasi disciplina juris naturalis & gentium non sua indole sit universalis, seu omnes homines, gentesque spectans ; quæstolido (15.) consilio ad certarum duntaxat gentium captum restringitur.

(15.) *Qvis miretur, ita vocari doctrinam meam Philosophiæ Christianæ uniusq; h. l. ejus partis, cum ipsa fidei Christianæ prædicatio sic dicta fuerit olim 1. Cor. 1. 21. seqq. Sed illam à Christiano ita vocari, quis non miretur?*

Notantur inde quædam à me tradita, velut à captu omnium hominum abhorrentia. Exempli causa adducitur, quòd ego doceam, paternum imperium nisi præsumpto liberorum consensu, non unice, sed inter alias rationes, & pro occasione illius, non pro causa nativitatem habendam esse. Atqui ni ostendatur, hæc rationi (16.) repugnare,

(16.) *Allegavi in præfat. suprà pag. 36. è Græcis Plutarcbum, a parte Pufendorfio contradicentem, E Latinis sententiam*

am

am jam dicat *Plinius in Panegyrico: Vis lexq; Natura semper in ditione Parentum effliberos jussit. Quod autem Vis Naturæ jubet, id originem à consensu non habet,*

utiqve ad captum omnium hominum eadem esse censendum est. Socialitatem quoque inter arcana dogmata à Chinesibus habitum iri judicat, lepido sanè (17.) ratiocinio:

(17.) *Suprà p. 36.) Plautus in Rud. Act. 2. sc. 2. Profecto nimis lepidè jocißi bolum. Nimirum non hoc, sed illud meum est ratiocinium: Si Monarchæ Sinensium Astronomiæ studium ad paucos restrinxerunt, qui mediocrem societatem vix constituere possent; multò magis vetabunt doceri disciplinam illam, quæ socialitatem inter omnes loco fundamenti ponit.*

Quia Principes omnia ad socialitatem referunt, igitur non judicabunt è re civilis societatis jus naturale publice doceri. Id est, quia omnium Principum interest, ut cives sui sociabiles se gerant, igitur præcepta socialitatis publicanda non sunt, sed inter paucos tantùm secreto sunt habenda. Cæterum nec ego gentilibus rationem (18.) & quicquid facultatum humano generi concessit Deus, eripio,

(18.) *Suprà ibid.) Num etiã principia congenita? de quibus solis hîc quæstio est. Habemus fatentem reum in specim. controversiar. Erid. pag. 268.*

Quæ modo si retineant, haut ægrè latari videntur, quæ præter Scripturam sacram (19.) finguntur,

(19.) Absit, ut præter Scripturam fingantur, in qua principia congenita sive notitiæ innatæ tum alibi tum *Rom. 1. 19. 21. 32.* clarissimè inveniuntur; tametsi ad reliquias imaginis divinæ non tam à Scriptura quàm ab Ecclesia referantur, rudera divinæ imaginis sibi eripi. Quod si tamen Christianus orbis D. Alberti Compendium non capit, me sane non invidente iter ad Chineses suscipiat; ubi sine

dubio maximus populi adplausus adventantem excipiet, si picturam compendio suo (20.) præfixam,

(20.) *Vid. suprâ, pag. 72. not. 11.*

Dioxippi Atheniensis pugilis, & Horrætæ Mæcedonis pugnam, ex Curtii l. IX. ut puto exprimentem, sibi præferri curaverit; ex qua inusitatum sibi spectaculi genus pollicebitur.

S. 3.

Scripteram quoque ego, exemplis constare, quàm non ex usu sit, Theologis politicam architectonicam formandam relinqui. Excipit D. Albertus, id ad orthodoxos Theologos non spectare. Id quod ego facile admitto; (21.) cum illa, quæ innui, exempla à Jesuitis & Fanaticis profecta sint.

(21.) *Suprà p. 37.* Quomodo? Illa nimirum, qua innui exempla, à Jesuitis & fanaticis profecta sunt. Quid tùm? Hæc enim innuis, ut idem periculum à nostris imminere ostendas. Hi sunt, quibus *κατοχνας* primùm in imitando me orthodoxè philosophantem, deinde damna in Republica, vaticino quasi spiritu tribuis. *Nam eodem, inquis, obtentu isti homines (mei similes, h. e. orthodoxi Theologi) dilatoriam sibi circa Politicam Architectonicam (quò ego circa Jus N.) dogmata autoritatem arrogabunt. Quod quàm non usq; adeò tutum sit summis Imperantibus civilibus &c.* Et, quæso, quem de periculo monere voluisti? Papistas & fanaticos, an tuæ consanguineos fidei? Satius itaq; fuisset, hoc ulcus non attigisse quàm malè curasse.

Sed quia nulla non ex sectis Christianorum orthodoxiæ sibi gloriam vindicat, ubi nostrates Theologi sibi utralibus Politicam subjecerint, ne cæterarum quidem sectarum Theologi deterioris esse conditionis volent.

Igi-

Igitur in universum satius fuerit, Theologos ut tales suæ Theologiæ adq̄viescere; Politicam velut disciplinam rationi superstructam propriis & domesticis principiis relinquere. Albertus tamen, cum pestilentissimam aliorum πολυπραγμοσύνην perstrinxisset, sui oblitus mox subjungit: De hac injuria viderint alii, Jesuitæ (22.) & Fanatici, ad quos ea propius pertinet. Ergo quibus ipse pestilentissimam πολυπραγμοσύνην tribuit, iisdem dum paria à me objiciuntur, injuriam fieri arguit. Valde svaferim (23) D. Alberto,

(22.) *Suprà ibid.*) Non Jesuitæ & Fanatici, sed orthodoxi, de quibus ibi agi, modò ostensum fuit. Opus itaq̄ve non erat consilio (23.) adversus iracundiam. Soleo, si quisquam, observare monitum *Catonis* illius præfici:

Iratius de re incerta contendere noli;

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

ne per iracundiam deinceps quid in chartam conjiciat, Sed nec video, (24.) quare D. Albertus in se potissimum trahere voluerit,

(24.) *Suprà ibid.*) Hoc est, Solem in meridie, ubi cælum est fudum, non videre. *Cujus* (Alberti), inquis, *commenta eò curatiùs excutiemus, quò liquidius ex hisce patebit, quàm anxie omnem lapidem moveant veteres Magistri, ne distata & Collegia manuscripta detrimenti quid patiantur.* Vide parallelismum *Erid.* p. 253. in *Spec. C.* §. 12. in cuius fine pauci illi adducuntur *Magistri*, qui invidia adversus recentiorum opera suis Collegiis *manuscriptis apud imperitos juvenes hòc* (orthodoxiæ, ad meum scilicet exemplum,) *obtentis sanctimoniam circumponere satagunt.*

quæ ego in genere de sollicitudine antiquorum magistrorum circa Collegia sua tetigeram; cum communis iste sit affectus eruditum, ut foetibus suis existimationem detrahi ægre ferant; cui affectui vincendo vix centesimus quisque par fuerit. Neque verò tam gravem

culpam Alberto impingere (25.) in mentem venit, ac si doceret, ut ditesceret.

(25.) *Suprà ibid.*) Utinam non in calamum! qui vix tantum atramenti, quantum detrimenti, quod veteres Magistri pati nolint, in se habet.

Sanè quo minus præmium laboris accipiat, nemo vitio vertet. Nam quod jactat, (26.) se suos libros gratis docere malle, quam meos cum spe lucri, non is contemptus pecuniæ est, sed pura puta (27.) invidia;

(26.) Ubinam hoc jacto? ubinam ullum (27.) invidiæ indicium?

Non equidem invideo, miror magis: undiq; totis

Usq; ad cò turbamur agris. Virg. Ecloga 1.

cui an id futurum potentiæ sit, ut libros meos omnium manibus sit excussura, valde dubito: qui cur non absque ipso interprete legi aut intelligi possint, nihil rationis video. Id quoque parum Ipsi decorum, postquam passim jam Afinii Tenebrionis vesania despuitur, ab isto vocabula novitatum, (28.) & incautæ juventutis mutuo sumere.

(28.) Quid nisi novitates doceat is, qui paucis post lineis (*infra pag. 79.*) receptorum doctores sententiarum veteres & inanes naniæ cantillare dicit?

ac jamdudum exsibilatam calumniam denuo in scenam producere. In docendo ei gloriam Dei & bonum publicum esse propositum, facile crediderim. Sed & illud sibi persvadeat velim, non alium mihi scopum fuisse & esse. Neque sanè Pufendorffio veritate corrupta opus est, cujus asserendæ Albertus necessitatem sibi impostam credit, nisi forte animi sanctimoniam prolixitate pallii (29.) metitur.

(29.) Non sum ex istis, qui habitu corporis sanctimoniam animi metiuntur, sæpius mentiuntur. Scio, quid de iis, qui sapientiæ studium ita præferunt, sentiat Plinius, *Epistolar.*

l. 22.

1. 22. *Scholasticus tantum sum : quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius, apud eund. ibid. II. 3.*

Haut quidquam tamen gloriæ divinæ magis interest, ut veteres & inanes nœniæ cantillentur, quam ut bonæ scientiæ nativo cultu adornatæ exsplendescant. Id quoque nunc facile crediderim, nihil ipsum affectui in affinem suum Virum celeberrimum Dn. D. Scherzerum dedisse. Nam cum Albertus profligatam jam litem ultro suam fecerit, ille longè sapientiùs (30.) ac generosius sollicitationes Beckmanni, Schwartziique, & Gesenii adspersatus est,

(30.) Silentium nimirum, quod ante triennium in *specim. controvers. pag. 16.* ad tegendam incertitiam adhibitum fuisse, argutabatur, sapientiam jam interpretatur; mirabili non minùs quàm benigna metamorphosi; adeò ut Laudatissimo Viro, cum sociis Ulyssis formam hominis à Circe recipientibus, dicere jam liceat:

*Spargimur ignota succis metioribus herba,
Percutimurq; caput conversa verbera virga,
Verbaq; dicuntur diis contraria verbis.*

Ovid. Metamorph. L. XIV. Ad pugnam verò ineundam quid opus fuit sollicitationibus Beckmanni Schwartziique apud eum, quem ipse *Pufendorfius in publica scriptione certamen provocavit?* quâ vanâ gloriatione utitur *ibid. pag. 15. alibiq;.* At scio, quò vos soleatis pacto perplexarier. *Plant. Aulular. Act. 2. sc. 2.*

ac indignum se judicavit, istorum sese furori propugnatorum (31.) præbere.

(31.) *In præfat. Specim. Controv. maximum firmamentum partibus ipsum addere, quancquam citra rationem, credit.*

Cum iste contra, quo plura per inconsultum animi impetum conscribit, eo magis morbos animi sui pandit. Quam effeminatum enim hominem arguit, quod Christiana (32.) patientia in subsidium advocanda fuerit digrendæ contumeliæ,

(32.)

(32.) Inter actus Christianæ patientiæ primus est, *tolerare maledicentem*, 1. Cor. IV, 12.

quam vocabulo veterum Magistrorum, naris minus emunctæ, commentorum, sibi inustam credit. Etsi dente plusquam Theonino armata sit illa Christiana patientia, quæ pro veteris Magistri honore, irrisoris & malignantis (33.) convitium quam modestissimè reponit;

(33.) Tituli à Spiritu S. Pf. l. i. impositi illis, *qui propria Sapientia opinione suffarcinati, contemnunt alios ex se, neq. sani quicquam audiunt & admittunt, sed convertunt se ad id, quod ipsis est pulchrum & jucundum*; Coccej. in b. l.

ac impietatis arguit illum, qui certa in re parum perspicacem ipsum monuerat. Sed & illud valdè putidum est, quod velut magnam mihi invidiam facturum me subinde Censorem indiget: cum abs ipso censendi (34.) & traducendi initium sit factum;

(34.) In sententias Autoris modestissimè, nomine ipsius suppressò, inquisivi; nihil censui, nihil traduxi. Vide historiam litis *suprà*, à pag. 33. seqq.

mihi autem adversus alienas obrectationes defensio suscipienda fuerit. Quamquam revera non ita invidiosum sit in Alberti Compendium censuram exercere. Sed nimirum non possunt non istorum hominum animi per enormia elogia, quæ aures ipsorum quotidiè verberantur, inflari. Qui enim nil aliud (35.) audit quam lumen & columen Ecclesiæ, flumen & fumen sapientiæ, bitumen & alumen eruditionis:

(35.) Dicerem fermè, si venia esset verbo, cum Antigono apud *Plutarch. in Apophthegm.*: *Nihil tale in me agnoscis, qui lasanum meum portat.*

ubi alium citra adulationem de se judicare vident; velut maxima injuria illata excandescunt. Circa (36.) stylum denique fatius fuerat,

(36.)

(36.) Patietur spero, ut cum *particula Logicorum* (quicquid, atque, ergo,) *pedanticissimum* ipsi sint *ferculum*; mihi non sapiant *Entia moralia, modi affectivi & aestimativi &c. supra, p. 38.* quos ille magnò numerò apponit. Nauseam nimirum per nauseam moveri, quis ignorat?

nihil tangere, cum ego nunquam Alberto scribendi magistro uti constituerim. Id tamen non præter rem, quod similitudines (37.) meæ ipsi tantoperè displicent;

(37.) Tolerò illas, *suprà ibid.* sed ita, ut tollatur abusus & maneat usus. Contra illum graviter *Philosophus VI. Nicom. 3. Oportet* (scientem, qualem se in studio quoque *Moralis Philosophiæ* putat esse *Pufendorfius,*) *accuratè ducere & non sectari similitudines.*

quippe quæis *Afinium sociosq;* ad vivum factos constat. Et hæc quidem ad præcalidam (38) illam præfationem.

(38) *In odium nimirum flagras veritas; Tertullian. in Apologet. c. 46.*

S. 4.

Ipsò in opusculo (*suprà p. 41.*) *Lamberti Danæi* verba adducuntur; An Deus possit quodvis malum, et am odium sui præcipere, & omne bonum prohibere, amorem & cultum sui? Quibus subjungit: Utinam si ab illis semper dissentit *Pufendorfius*, nulla harmoniæ in vocibus extarent vestigia! *Jura* (39.) liqvido,

(39.) *Juro liqidissimè. Semper enim bonissimum credidi, non premere immerentem; idq; ipsum dixi liberè & variè. Verba sunt Plinii Epistolar. III, 9. Factum est meum. Vid. Compend. mei part. 1. cap. 1. p. 46. ubi in nota unum.* *Pufendorfium* per *Pufendorfium* interpretor & excuso. *Ἄλλα ἡσέρον πως εἶναι καὶ σαφέστερον*; quod est salutare monitum ex *Aristoph. in Βαρυ. Act 5. sc. 4.* popularius requirens & clarius, in hujusmodi præsertim vexatis quæstionibus, loquendi genus.

sipotes, Alberti, te isthoc non calumniandi animo scripsisse;

L

psisse;

pſiſſe; cum ſatis noſſes, me iſtam ſententiam contradic-
tionis & abſurditatis arguiſſe. Controverſiæ Hof-
mannianæ ego ſane nondum ingens (40.) ponere preti-
um poſſum,

(40.) Contrarium docet historia. Vide *ſuprà*, pag. 41. Nec ta-
men error, quæ *ratiocinia ex ſenſu communi petita deſtruerè*
valent, per hoc exigui eſt pretii; niſi Scepticorum ſimili-
umque deliria, quæ cum peſtilentiſſima ſint, facilè ta-
men ex ſenſu communi refelli poſſunt, negligere velis.
Vide *Lactant. L. de falſa ſapient. ubi cap. 6.* hoc genus
Philoſophiæ vocat quidem ἀδύσματον, ejus tamen vires
putat fuiſſe tantas, ut *Philoſophiam conſecerit jam deſtore-
ſcentem.* Accedit πλάτης κλιμακίης, erroris ſcala, obſer-
vante *Porphyrio L. 2. de abſtin. ab anim. §. 5.* quâ neſcius ille
ſubſiſtere, ubi incepit, altiùs ſemper aſcendit.

quippe quam *ratiocinia ex ſenſu communi petita de-
ſtruerè valent.* Ac modeſtius utique judico, moroſi-
tatis aliquem & zeli à ſcientia parum inſtructi arguere,
quæ humana vitia ſunt, quam per manſuetudinem, ſi
Diis placet, Theologicam inter diaboli (41.) inſtru-
menta referre.

(41.) Vide *ſuprà*, n. 8. pag. 70.

,, *Diſtinctiuncula inter eſſentiam & eſſentiam juris natura-
lis haut quidquam efficit, ut jus naturale orthodoxæ fidei
adverſum evadat, ob admixtos à Doctõribus errores. Sic-
uti verbum Dei ob falſas quorundam interpretationes
non ideo quoad eſſentiam corruptum dici poteſt.*
Quod ſi tamen quis errata autorum à veris ejus discipli-
næ ſcitis ſeparare inſtituat, illi paulò curatius lavare ma-
nus convenit, quam Aſinius Tenebrio fecit, qui ad cu-
bitum uſque malitiæ & calumniarum ſordibus heic in-
quinatus adparet; nec parum ipſius Alberti (42.) di-
giti illuvie ſquælent.

(42.)

(42.) — — — *Hac, bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnit,
Herat. Serm. L. 1. sat. 4.*

De cætero in Alberti gratiam nemo me in exilium (43.)
expellet.

(43.) *Me non invito; supra, pag. 43.*

Neque multum mihi à censuris eorum metuo, quæ suo
jure de politica architectonica cura est, modo si pro-
priis (44.) oculis,

(44.) *Τὸ Φῶς ἰλῶ δαείζεις.*

non perspicillis ab Asinio Tenebrione corruptis, cerne-
re velint. Num commendata (*supra pag. 43.*) Alberto
methodus, ut juxta thesin semper antithesis ponatur,
commodissima (45.) sit,

(45.) Ita profectò. Nam de methodo quoque verum est, quod
Athenæus L. 4. δεπρωσοφ. scribit de conviviiis, quæ *Homerus*
diversorum finxerat generum: *Ἐξ αἰσῶ δαβολῆς ὀρεῖται
μαῖλον;* res collata inter se atque è regione posita melius in-
telliguntur.

ingenia judicent, quæ surfuribus saginari non sive-
runt. Et maneant eque dem capita & libri ex Aristotele,
quibus veterum quorundam commenta destruit aut
(46.) cavillatur:

(46.) Ita cavillantur communiter Philosophicarum novita-
rum studiosi; inter quos nomen profitetur *Pufendorfius* in
specim. controvers. totò cap. 2.

Sed ut ista in perpetuū refricentur, etiam quando (47.)
nemo est,

(47.) *Ἄπειροδιδύουον.* Nam de hoc casu non est quaestio. Meum
facio ego ipse in *specim. Vindis. in fine cap. 2. supra pag. 62. il-
lud Virgilii L. XI. Æneid.*

Nullum cum victis certamen est æthere cassis.

qui veterem errorem defendit, inutilis ac inamœnus la-
bor habeatur. Facile quoque Platoni assentimur, ut à

falsis dogmatibus animum repurgatum habeat, qui veris est imbuendus. Sed sæpè de falsis in mentem non venisset, ni intemptiva (48.) repetitione quis monitus fuisset.

(48.) Tempestivam ego defendo, cum Platone; *suprà*, pag. 43. Præterquam quod non omnibus est ea stomachi (49.) firmita, ut ad talia non nauseent.

(49.) *Ipsius Magistri hoc opus sit, cum adhuc rudis tractabit ingenia, non statim onerare infirmitatem discipulorum, sed temperare vires suas, & ad intellectum audientis descendere; Quintilian. L. 1. cap. 2.*

Id tamen valde modeste Albertus, quod præfiscini exclamare non obliviscitur, dum ad virorum maximorum judicia provocat, quæ usque adeò invitus audire necessum habuit, ut vi metuque coactus ea frontispicio (50.) libri sui præmiserit, nescio an ultra tertium lapidem valitura.

(50.) Rationem hujus facti dedi in *præfat. part. 2. Compend. mei pag. 9.* Cicero jam olim *Epistolar. V. 12. Placet Hector ille mihi Nevianus, qui non tantum laudari se letatur, sed addit etiam: à laudato Viro. Ea est enim, inquit idem Epistolar. XV. 6. profectò jucunda laus, quæ ab iis profisciscitur, qui ipsi in laude vixerunt.*

Denique & insolenter & (51.) pueriliter facit Albertus, quod me interrogare non patitur, unde ipse hoc sibi arroget, ut sana ratione melius, quam cæteri usus iudicetur? Nam si hypothesein suam pro fœtu sanæ rationis venditat, cur nemo cæterorum mortalium ex inspectione naturæ rerum, aut ex sensu communi hætenus eam eruere valuit?

(51.) Nolim, quamvis possim iterum *παρρησιάζειν*: Insolenter & pueriliter facere Pufendorpium, quod me interrogare non patitur. &c. usq. ad fin. hujus §.

§. 5

Accedit inde (*suprà pag 45.*) ad thesin suam primariam adstruendam. Alberius: *Quod pura juris naturalis notitia ex orthodoxa doctrina de statu integritatis hauriri possit ac debeat. Ratio precipua additur: quia jus naturæ est inter reliquias imaginis divinæ, quam homo in statu integritatis habuit. Ad quam statum inandam toto sacco rancidulæ (52.) distinctiones scholasticæ effunduntur.*

(52.) Solæ nimirum Pufendorfianæ inter *qualitates & quantitates morales; inter imputativitatem & imputationem &c.* debent esse ad palatum; Aliorum, ne cassâ quidem nuce emendæ.

Enimvero eam operam frustra sumi adparet, si consideretur, accuratiores Theologos, non refragante ipso Alberto, tradere; imaginem Dei sensu Biblico sola spiritualia complecti; quo sensu eam penitus perisse. Igitur quæ in divinis literis super imagine Dei traduntur, ad jus naturale penitus non spectant eoque per Theologiam orthodoxam, quatenus ea divinis literis inmittitur, & ex hisce deducitur, ad jus natura nihil proficitur. Et aliàs cultura juris naturalis ad reparationem imaginis divinæ in regeneratis, & sanctificationem pertineret; quod nemini per somnium hætenus asserere in mentem venit. Conceduntur tamen ab isdem usu Ecclesiastico rudera aliqua divinæ imaginis. Id est, quia Theologus quispiam notionem imaginis divinæ præter sacram scripturam finxit, quem alii complures citra accuratiorem disquisitionem secuti sunt: igitur ne, qui errorem istum deprehenderunt, cornicum oculos configere voluisse videantur, sensus Ecclesiasticus concedendus est, sensui Biblico contradistinctus, & rudera sunt agnoscenda, quæ nunquam ad edificium

,, cium destructum pertinuerunt. Sic quia Theologi quidam
 ,, Antipodes dari negarunt, aut solem die Paschatis saltare
 ,, cœlosq; vetustate corrugatos jam multis milliariis milli-
 ,, bus humiliores asseruerunt; ideo ne isti quapiam in re im-
 ,, pegisse videantur, concedendum est sensu Ecclesiastico ho-
 ,, mines in altero hemisphærio in cœlum prolabi, eodemq;
 ,, sensu solem tripudiare, aut cœlos ingentibus rugis obsitos (s-
 ,, se. Equidem ut quis impropria locutione utatur, ego parum
 ,, curaverim. Ast ut locutioni per Melancthonem intro-
 ,, ductæ sacrosanctæ quædam autoritas circumponatur, &
 ,, eam explodentes heterodoxie convitio notentur, id sane
 ,, ferendum non est. Nec qui sapit Theologus, si quid ex-
 ,, tra scripturam sacram proferat, præ cæteris philosophan-
 ,, tibus autoritatem sibi arrogabit. Nec promovet quid Al-
 ,, bertus suis distinctiunculis, quæ ad absurdum redactis Ma-
 ,, gistris nostris ultimum $\alpha\pi\alpha\sigma\tau\omicron\upsilon\sigma\iota\varsigma$ sunt, ne plane obmutescere
 ,, necesse habcant, Distinctio inter jus nature & ejus
 ,, notitiam, ad rem nihil facit. Nam qui intelligit, quid
 ,, lex sit, in homine præter notitiam legis nihil investiga-
 ,, bit. Notitia perfectior & imperfectior haut quidquam
 ,, exinde provenit, quod quis orthodoxus, aut heterodo-
 ,, xus, planevè infidelis sit, quippe cum, quæ sacra scriptu-
 ,, ra de imagine Dei tradit, ad jus naturale non spectent.
 ,, Et quæ Albertus in naturali jure novit, ea non ortho-
 ,, xie suæ, sed lectioni Grotii debet. Unde & falso Chri-
 ,, stianorum propria dicitur (suprà p. 45.) cognitio distin-
 ,, ctæ ejus juris. Nam distincta cognitio cujusvis discipli-
 ,, na à studio & meditatione provenit; quæ per se æque in
 ,, infidelem, quam in Christianum cadit. Quod autem ea
 ,, cognitio jam maxime inter Christianos floret, est, quia
 ,, pleræque bonæ literæ à Christianis excoluntur. Nec mi-
 ,, nus inepta sunt sequentia: Principium, inquit, τὸ ἐν εἰρα
 ,, in scientiis & intelligentiis (quarum hæc congenita prin-

prin-

„ principia præstat,) maximè verò in intelligentia est
 „ Theologia revelata. Ab hoc principio pendet or-
 „ thodoxia & heterodoxia in Philosophia. Si enim il-
 „ lud negligimus, aut in erroneum (Hæreticorum)
 „ incidimus, heterodoxè philosophamur; si verum &
 „ genuinum assumimus & sequimur, orthodoxè. Nam
 „ Theologia revelata vel eadem principia tradit, quæ ratio
 „ invenit; vel aliqua hisce super addit. Ubi prius fit, sa-
 „ ne & qui conjunctim illis principiis bene utitur, rectè phi-
 „ losophari simpliciter dicitur, non orthodoxè; & qui so-
 „ lam rationem secutus S. Scripturæ ignarus, si ex veris
 „ principiis bene ratiocinetur, itidem rectè philosophari
 „ dicitur, non orthodoxè, nec heterodoxè. Sicuti v.g. Ci-
 „ cero, qui de officiis absque Theologia revelata tradit,
 „ haut quidquam heterodoxè aut hæretice philosophari
 „ dicitur, etiam ubi à vero aberrat. Contra qui Philoso-
 „ phia aliquid ex Theologia revelata admiscet, is non ortho-
 „ doxè philosophatur sed intempestive theologizatur. Sic
 „ quando Albertus inter prandendum de rebus Theologicis
 „ differit, aut Nicolaus Beckmannus cum recentibus suis
 „ combibonibus Monachis inter pocula de virtutibus Ro-
 „ sarii commentatur, non ideo aut ille orthodoxè prandere,
 „ aut hic heterodoxè potare dicitur.

S. 6.

„ Opposueram porro ego; statum integritatis inter
 „ duos homines ad breve tempus fuisse, nec in ejus descriptio-
 „ ne juris naturalis mentionem fieri; eoque illum non posse
 „ normam esse tam variarum actionum, quæ in genere hu-
 „ mano multiplicato certum moderamen desiderant. Hæc ne
 „ plane obmutescat Dn. Albertus, sententiola (suprà pag 47.)
 „ adducitur; brevitatem perfectione compensari, &
 „ ad hanc, non illam in norma respici. Ast non ideo ve-

rum.

„ *rum esse desinit, quod de naturali jure in historia status*
 „ *integri nulla mentio fiat. Quin de actionibus Adami*
 „ *in Paradiso nihil memoratur, nisi quod animantibus vo-*
 „ *cabula imposuerit, Evam dilexerit, & nudus absque pu-*
 „ *dore incesserit: hinc statim de lapsu memoratur. Præter*
 „ *hec, quantum ego recordor, in tota S. Scriptura de actio-*
 „ *nibus Adami Paradisiacis nihil recensetur; nec ullibi*
 „ *eadem in imitationem, aut exemplum perfectæ vitæ cete-*
 „ *ris hominibus proponuntur. Nam novus ille homo, quem*
 „ *Paulus induere nos jubet, Adamus non est. Et si Alberto*
 „ *utique placebat Theologiam moralem cum naturali Jure*
 „ *confundere, cur non potius in normam ejus juris placebant*
 „ *actiones saltem communes Salvatoris nostri JESU CHRIS-*
 „ *TI? Obiter quoque mirari lubet, quod, cum Alber-*
 „ *tus usum (53.) similitudinum mihi expronaverit, ipse*
 „ *exempla de acu magnetica, & horologio attulerit,*
 „ *quæ ridiculè (54.) plane ad præsentem quæstionem*
 „ *applicantur.*

(53.) Non usum, sed abusum; vid. *suprà* n. 37. pag. 81. In usu
 (54.) nihil ridiculi; in abusu multum. Vide non
 paucas *Pufendorffii* similitudines, in primis eas, quibus *su-*
prà *ibid.* nonnullos adversariorum suorum *ad verbum*
factos fuisse gloriatur.

Spektatum admittitur sum teneatis Amici.

„ *Negat inde (suprà* *ibid.) Albertus requiri, ut in sacræ*
 „ *literis totidem verbis extet, jus naturæ esse inter reliquias*
 „ *imaginis divinæ. Atqui ne res quidem ipsa, sensusque*
 „ *divinis literis continetur, prout supra h.c. S.S. ostendimus.*
 „ *Opposueram quoque ego, principia etiam theoretica ab*
 „ *Alberto inter imaginis divinæ reliquias referri; nec*
 „ *ideo tamen Arithmeticis aut Geometricis ad statum inte-*
 „ *gritatis confugiendum. Adversus quæ ista excipit,*

rua-

„ utraqve quidem principia esse interna, i.e. naturæ hu-
 „ manæ congenita; d fferre tamen in hoc, quod theore-
 „ tica principia testimonio sensuum declarentur, pra-
 „ ctica non item. *Quæ exceptio inanis est. Nam &*
 „ *principia theoretica ratione, & practica per sensus illu-*
 „ *strari possunt. Sic si D. Albertus ope sensuum declarare*
 „ *velit principium illud juris, neminem ledere, atcat modo,*
 „ *ac viro forti colaphum impingat, ac statim veritatem si-*
 „ *bi ejus principii circa aures oberrare sentiet. Tandem*
 „ *D. Albertus inferiorem certitudinis gradum non invidet*
 „ *luminis rationis sibi relicto, superiorem verò eidem ad du-*
 „ *ctum luminis gratiæ pollicetur. Atqui summus, quem*
 „ *naturale lumen pollicetur, certitudinis gradus est demon-*
 „ *stratio; qua obtenta nemo ulterius inquirere laborat.*
 „ *Lumen gratiæ aliam certitudinem suppeditat non circa*
 „ *res demonstrationi Logicæ subjectas, quæ sciuntur, non*
 „ *creduntur, sed rationi humana absconditas, & ad salu-*
 „ *tem animarum facientes; quæ certitudo fide constat, ve-*
 „ *ritati & promissis divinis innixa. Igitur, si Diis placet,*
 „ *eadem fide, quæ credimus Salvatorem nostrum pro pecca-*
 „ *tis mundi satisfecisse, deinceps credemus, pacta esse servan-*
 „ *da, gratum animum benefactoribus adprobandum.*

S. 7.

„ Mire dehinc (suprà p. 50.) se torquet D. Albertus,
 „ ut Philosophiam nobis aliquam Christianam comminiscatur.
 „ Sed adhuc desideramus illas theses aut assertiones
 „ Spiritus S. quas Philosophus Christianus in foro humano
 „ convertit in hypotheses certissimarum scientiarum. Quæ-
 „ sone invadeas orbi erudito istas theses revelatas. scientia-
 „ rum humanarum hypotheses. Nam de aquis si præcæ-
 „ lestibus ipse ultro remittere videris. Nec quid novæ scientiæ
 „ humanæ è propositionibus personalibus exsculpi queat,
 M adpa-

adparet. Eqvidem jure merito castigor ego, quod non satis (55.) pedantice dixerim,

(55.) Ferenda est hæc humanitas in Professore Philosopho, quâ ille manum Philosophiæ (apud Aristotelicos, quia Aristoteles manum vocat *ὄργανον διδάσκων* L. III. de Anima c. 8. titulò illi cum Logica communi,) artem omnium artium maximam (juxta Ciceronem in Bruto,) disciplinarum (secundum Augustinum II. de ordine cap. 13.) insolenter excipit. Similes ejusdem blanditias adversus Metaphysicam vide in Proëmio Spicilegii *Controversiarum*: alibique. Applausum nimirum aut etiam societatem ambit eorum, qui, modò Metaphysicæ & Logicæ nomina inaudierint, barbariem ipsam jam adesse opinantur. Graviter adversus hos eorumque similes Vossius *Institutus Orator*. L. I. pag. 90. Videre est, novitios quosdam Sophistas ludibriosos & turpia multa, quæ per febrim somniarunt, in disciplinas integras, ut Metaphysicam aliasque, quas sapere ne quidem, quod dicitur, tanquam ab alio despectarint, adlatrare ac *ἡγεμονεύειν*.

illas idem (56.) inusitatas vocari, quia ratio humana capere non potest connexionem subjecti & prædicati.

(56.) Rectius & accuratius dictum omninò fuisset, propositiones personales idem inusitatas vocari, quia prædicata earundem prædicantur nec in quid nec in quale, quàm quia ratio humana capere non potest connexionem subjecti & prædicati. Nam posterior ratio pertinet ad materiale harum propositionum, cujus respectu Logicus eas, nisi crederet Theologo, haberet pro falsis; prior ad formale, cujus intuitu ipsi, postquam jam habitæ sunt ab eo pro veris, appellantur inusitata. Quare is, inquit iterum Vossius, de Log. natura & constitut. c. 5. in fine; qui Logicam sic aspernantur, pro illo Anacreonte: *ἦέλ', ἦέλ', Φιλῆσαι, volo, volo amare; convenit potius hæc cantia; ἦέλ', ἦέλ' κλαυῖδάσ' volo, volo errare.*

Id

Id enim longe sublimius & divinius erat dixisse; non
 „ prædicantur in quid nec in quæle. *Assume tamen quæso*
 „ *thesin illam theologiam, & converte eam in hypothésin*
 „ *certissimæ scientiæ, ac gigne nobis nova theoremata philo-*
 „ *sophica; ac deinceps nobis Magnus Albertuseris, Nam*
 „ *à Deo posse fieri, quæ rationis humanæ captum excedunt,*
 „ *etiam Philosophi non Christiani admittunt. Et materiam*
 „ *Deo non esse coævam, nec mari meteoricam esse naturam,*
 „ *etiam ex ratione ostendi potest.*

S. 8.

Inde idem (*suprà p. 52.*) circa objectiones meas dis-
 solvendas satagit, primò jactat, quia ego abstrahendi
 vocabulo aliquoties usus eram, idcirco sese meo ex-
 emplo idem vocabulum adhibuisse. Ast mihi nunquam
 (57.) abstrahere idem fuit, ac præsupponere; quæ Al-
 bertii confusio est.

(57.) Qvis hoc dixit? Fateor enim, *suprà pag. 52.* me propria
 sentiam, quæm perperam ille adhibuerat, benigne mutas-
 se in improprium.

— — — *Licuit semperq; licbit*

Signatum presente notâ producere nomos.

Horat. de Arte poet.

Quanto satius igitur fuerat, agnoscere, per inadvertenti-
 am istud excidisse, quam ita impudentem & frivolam ex-
 „ cusationem comminisci. *Præfractè de hinc (suprà p. 53.)*
 „ *condendit, Christiano ad hoc sut philosophetur, ut utendum*
 „ *esse statum integritatis.* Intueatur, *inquit,* homo corru-
 „ ptus hominem integrum, pie, justè, tranquillè peragen-
 „ tem omnia; næ ille statim videbit, quomodo se huic in
 „ actionibus suis conformare, eoq; ipso præceptis juris
 „ naturalis satisfacere possit & debeat. *Atquitam pau-*
 „ *ca de actionibus Adami traduntur, ut quomodo nostræ a-*

M 2

Etiones

„ *Fiones ad illas formari queant, non adpareat.* Sed nec si totos dies illum integrum hominem, quem Albertus in frontispicio Compendii sui (58.) æri incisum exhibet, intueri velim, adparet, quid ad sapientiam aut probitatem inde proficere possim, nisi forte nudo salutare placeat,

(58.) *Vid supra pag. 72. n. 11.*

„ *Addit, valde id quidem aniliter: (supra p 53.)* Utinam eodem modo puerperæ & obstetrices, respicientes ad Evam in statu integritatis, dolores in pariete domino repossent. Quæ talia fando Pssylomache, Baucisve, uxore edentula Fauni temperet à lacrymis! Sed parcite ocellos fletu corrumpere aniculæ. Nam auspiciatum secretis vestris nomen Albertus, uti videtur, libellum de arte (59.) obstetricandi ad analogiam status integritatis commentabitur,

(59.) Ego scilicet, qui modò falsus eram *supra, pag. 53.* in naturalibus non æquè ac in moralibus statum integritatis à nobis hodiè in usum nostrum verti posse. Sed placuit Adversario, hoc exemplum more suo, hoc est, per sarcasum excipere; quod indulgendum est Viro nimis strenuo, qui à colaphis (*supra pag. 89.*) mavult declarationem petere.

pari felicitate, ac bellum (60.) nuper ad eandem analogiam dedit.

(60.) *Judicium sit penes Lectorem. Vid. Compendii mei part. 2. totum cap. 17.*

Abs cujus ingenio etiam commentarium de officio (61.) carificis ad analogiam status integri expectamus.

(61.) Si hujus officium ex Jure N. deducendum est, tenerur *Dn Pufendorsius* æquè ac ego ad hoc faciendum. qui & bonos Viros, phrasi ad illud artificium spectante, in *malam rem* (ad corvos, per æquivollentiam, apud *Erasm.* in *Adag.*) abire jubet, *infra in hujus opusculis sine.*

„ *Enimverò etsi præcipue Christianorum factiones in eo consen-*

„sentiant, hominem integrum fuisse virtutibus examissim
 „imbuti; cum tamen de hoc non nisi ex lumine revelato con-
 „stet, non ideo statim id pro hypothese discipline ex natura-
 „li lumine profuentis habebitur. Sed nec ideo Philosophis
 „Christianis sola obsequii gloria relicta est, quia Albertus
 „Logicam & Physicam tantoperè ex Theologia locuple-
 „tauit, & quod mysterium hactenus omnes Philosophos la-
 „tuit, ostendit, mare non esse meteorum, & materiam non
 „esse eternam. Cum porro juri naturali domestica sint
 „principia, quid opus est hypothesein ex verbo revelato eidem
 „substernere, quod facente Alberto ei disciplina externum
 „est principium. Ne tamen plane obmutescat, fingit nobis
 „duplicem scientiarum subordinationem, secundum esse, &
 „secundum bene esse. At nobis sufficit obtinuisse, jus natu-
 „rale quoad esse suum Theologie non subordinari. Num au-
 „tem Albertus tantum lumen isti discipline intulerit, ut quo-
 „ad bene esse eadem Theologie utique sit subordinanda, eru-
 „ditus orbis judicet. Quis sine dubio multum ingenio istius
 „Viri debere se agnoscat, quod repente Rempublicam litera-
 „riam nova disciplina auctiorem dedit, dum jam etiam
 „Theologiam naturalem Christianam elegantè contradictio-
 „ne enixus est. Sicuti & gratulabitur sibi de isthoc theo-
 „remate Albertino: Philosophus Christianus imaginem
 „Dei puto integram præsupponere potest ac debet tanquam
 „normam certissimam, cui actiones nostræ secundum reliqui-
 „as ipsius sint conformandæ, adeo ut in hac consideratione
 „philosophica, imago Dei se habeat idealiter, in Theologia
 „actualiter. Hoc quidem est sine mente sonum dare; nisi
 „forte in euphonia vocabulorum idealiter, actualiter, my-
 „sterii quid latitat.

Post exhaustum distinctionibus (62.) pedanticis fac-
 cum, ne plene ad silentium redigatur, è calumniis
 (62.) Vid. suprâ, pag. 85. n. 52. & pag. 90. n. 55.

Nicotai Beckmanni & Josuæ Schwartzii non nihil mutuò sumit, velut istis sua elogia invideret. Quin enim tantus distingvendi artifex discrimen à me ad nauseam usque inculcatum inter socialitatem adversus omnes homines exercendam, & inter peculiare commodum seu interesse Societatis alicujus particularis etiam vitiosæ, animo complecti (63.) potuerit, mihi persvadere non possum.

(63.) Benè capio sensum sed & abusum hujus distinctionis, Quicquid enim in gratiam Societatis hujus aut illius civilis in specie, contra jus atque fas commissum fuerit, haud excusabitur aut defendetur speciosius, quam per socialitatem in genere, quæ ipsius Juris Naturalis sit fundamentum. Hòc purpurisò nitida Ratio status, videbitur agere secundum Jus Naturæ, ubi contra illud audacter egerit; præsertim si circa actiones externas, quæ facile in speciem bonæ esse possunt, Jus Naturæ maximam partem occupari tantum, inaudierit. O injuriam in Jus Naturæ ipsum!

Quod ergo tam grave ac certum periculum Reipublicæ imminet ex mea socialitate, nisi quod ab Asinio Tenebrione primò fictum, mox alii pari stupore an impudentia distulere? Id tamen constat, homines Reipublicæ tractandæ peritos, quos (64.) ipse invidioso scilicet vocabulo Statistas vocat,

(64.) Absit ut *homines Reipubl. tractandæ peritos*, nisi sint Machiavellicæ aut Monarchomachi, aut eorum similes, hoc est, qui ad bonum utile, non ad honestum, non ad *prudènciam* sed ad *ambitionem* tantum, aut nervosa Seculi ditione, ad Rationem Statûs respiciant, *Statistas invidioso vocabulo* vocem. Appello ad verba mea; *suprà, pag. 56. Alii Machiavellicum, alii Monarchomachicum, alii Statista aliud, &c.* Nec soleo ego cum nominibus ludere, multo minùs per ea quænvam, omnium minimè Superiores ludere.

jus

jus sibi suum ex compendio Albertino non formaturos; sed facile passuros, ut in aula (65.) pedanteriæ istud se jactet.

(65.) Exeat hâc Aulâ, qui Aulicus esse velit. Quid enim Aulæ pedanteriæ cum Aulis Regum atqve Principum? Fuit tempus, quò *pro omni experimenco sufficit Medico ad commendandam artiæ autoritatem, si Alexandria se dixerit eruditum; Ammian. Marcellin. L. XXII, in fine*; Sed hodiè quid centum Alexandrinæ Scholæ sive Academiæ, tanquam Aulæ pedanteriæ, Politicis profint? Atverò: *Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine, ad huc honor studii durat; Plin. Epistolæ. IV. 16. Domi (quod a jure,) versura sit, & velut lusorium nomen statim transit (Senec. L. V. de benefic. cap. 8.)* titulus quoq, quem Academiis imposuit, qui in duabus hujusmodi, Pufendorffano scilicet stilo, pedanteriæ Aulis inter Primores fuit. Grandius olim, tametsi muliebre, fuit convitium Agrippinæ, Senecæ Professoriam linguam exprobrare; apud Tacit. *Annal. XIII. cap. 14.*

Denique & illud à Nicolao Beckmanno mutuò sumtum, quod perstricto Winstrupio caritatem proximi & reverentiam superiorum à me violatam (*suprà pag. 56.*) arguat. Ergo jus naturale Albertinum requirit, ut ineptæ carmina, & insipida scribendi sribligo divinis (66.) eloigiis onerentur;

(66.) De his nec querimus, nec querimur.

Nec, Deiphobum, nec Polydamanta, nec ipsum

Hector a laudamus. Quis enim laudaverit hostem?

Ovid. XII. Metamorph.

Quod verò de Poësi & latinitate Episcopi sui Professor Juris N. alieno prorsus loco, scribens adversus me, aculeatè inspergit, *idè vobis in C.*

utqve atroces errores falso objecti non arguantur, sed per silentium agnoscantur, ne alter calumniæ convincatur. De cætero Winstrupius ille nunquam eousqve superior

perior mihi fuit, quo minus injuriam inferentem repellere potuerim. Quem omni officio colebam, quamdiu se, uti decebat, adversus me gerebat. Cum furori Beckmanniano ducem se præberet, repuli, sed longè levio re brachio, quam merebatur; ac vindictam Deo commisi. Quamquam & revera inter officia humanitatis sit, stultam alicui philautiam excutere. Sicuti ni fallor Philæmon iste, qui Dionysii carmina stultitiæ plena aspernabatur, de hoc melius merebatur, quam adultores, qui ista ad cælum efferendo aliorum ludibrio tyrannum exponebant. Sicuti & ego, si rectè æstimare velis, de tuo Compendio orthodoxo melius (67.) mereor, quam amici tui, qui isti de osculando immoriuntur.

(67.) Tristem frontem & asperam, quam multis beneficiis tribuit Seneca L. V. de benefic. c. 20. non ipsum beneficium hinc invenio. Sed *ero meritis tui non immemor unquam.* Virgil. L. IX. *Æneid.*

S. 9.

„ In capite secundo alias quasdam assertiones suas
 „ vindicare nititur Albertus. Ac primò quidem cum constet
 „ quaedam præcepta juris naturalis locum habere non nisi
 „ in statu corrupto posse, ut nihilo secius ex statu integro de-
 „ riventur, (suprà p. 57.) asserit: Ea præcepta habere sta-
 „ tum corruptum pro objecto, integrum pro principio.
 „ Ego censebam hæc obscuritatem habere, apud juvenes præ-
 „ sertim. Et quamquam cernerem, ista Alberto velut maxi-
 „ me perspicua jactari, tamen admiratione potius quam in-
 „ vidia tantæ perspicaciæ perstrictus dixeram: Sive illa
 „ axiomata homini in statu integro in hæsisse, sive demum
 „ post lapsum in animis hominum enasci cœpisse statuatur,
 „ rem difficultate non carere. Difficultatem illam latius
 „ deducere omiseram, quod tædiderem; non temerè fore ali-
 „ quem

„ quem ita stupidum, cui illa non ultro in mentem veniat,
 „ Nam primo homini in statu felicissimo hæc præcepta actu
 „ in animo hæsisse; pauperibus eleemosyna est danda, pupil-
 „ li non sunt defraudandi, defunctorum bona pro ratione
 „ graduum cognationis sunt dividenda, & similia, vix Al-
 „ bertus mihi persuaserit, præsertim cum tam breve tempus
 „ Adamo in Paradiso tribuatur; ut vix otium ipsi fuisse vide-
 „ tur, hypothesein mortis & corruptæ naturæ fingere, & ad
 „ isthanc leges naturales & conditionem generis humani spe-
 „ culari. Cum probabilius sit, ipsum præter cultum Numi-
 „ nis rebus naturalibus contemplandis potissimum vacasse.
 „ Ni dicere velis, ista omnia etiam sub diversis hypotheseibus
 „ considerata uno intuitu ejus intellectus sese obtulisse. Quod
 „ facilius dixeris, quam probatum dederis. Quod si autem
 „ ista principia in animis corruptorum hominum enata de-
 „ mum dicas; mirum videbitur, plus luminis congeniti actu
 „ existere in homine corrupto, quam integro. Ast Alberto
 „ omnia heic plana, omnia expedita. Unde citra scrupu-
 „ lum pronunciat: *Ista partim homini in statu integro a-*
 „ *ctu inhæsisse, & in nos propagata esse, ut superiori est pa-*
 „ *rendum, Deo aut magistratui justo: partim apud Chri-*
 „ *stianos è cognitione status integri purissime resultare. E-*
 „ *nimvero uti facile concedo, Adamo vel primo loco hoc præ-*
 „ *ceptum, Deo est parendum, animo inhæsisse: ita an etiam*
 „ *actu de hoc in mentem venerit; magistratui justo est pa-*
 „ *rendum, non immerito dubites. Sane enim in Adamum*
 „ *hujus præcepti exercitium nunquam cadere poterat, quem*
 „ *ego filiorum imperio unquam subjiciendum haut credide-*
 „ *rim: nisi & hoc velis esse ex decoro status integri, ut pater*
 „ *cum filiis fasces alternis gerat. Deinde de magistratu pa-*
 „ *radisiaco res nondum ad liquidum perducta est. Et si quid*
 „ *ingenio polles, nec Censorem metuis, quæso deforma nobis*

N

civita-

,, civitatem Paradisiacam, & distincte exprime, quæ ratio
 ,, ad eam instituendam homines moverit, & cur non impe-
 ,, rio paterno, inde autoritate contenti, libertatem natu-
 ,, ralem, quæ nulla tunc mala libidine, secure gaudere po-
 ,, terant, retinuerint: quæ vis tunc imperii, quæ potestas
 ,, magistratus, quæ indoles legum civilium, quæ sanctio:
 ,, an majore studio homines recta se staturi fuerint ob jussum
 ,, magistratus. Tum quæ forma civitatum; quis imperium
 ,, habendi modus; num magistratus tunc à sacerdotio distin-
 ,, ctus: num istius magistratus potestas amplior quam pa-
 ,, terna fuerit; & ejus generis plura. Quæ tu si ita ex-
 ,, plicaveris, ut cordati risum aut lacrymas continere que-
 ,, ant, non triobolaris Statista habebis. Sed circa alteram
 ,, præceptorum classem, quam Christianos ex consideratione
 ,, status integri hausisse dicis, vereor ne petas id, quod est
 ,, in principio, & jubeas nos de natura habitus judicare ex
 ,, privatione, de natura lucis ex tenebris. Sane de beneficentia
 ,, hæcenus tum ex lumine rationis, tum eximè ex libris
 ,, Novi Fœderis Christiani cognovimus. Et nullibi tamen Sa-
 ,, cræ literæ, quibus hæc doctrina maxime cordi est, jubent nos
 ,, hæc ad statum integritatis respicere. Nec ulli puto mortali-
 ,, um ante Te in mentem venit beneficentiam erga pauperes
 ,, deductam aut illustratam ire ex statu integritatis; i. e. il-
 ,, lam actionem, quæ unius hominis abundantiam, alterius
 ,, miseriam & egestatem præsupponit, ex eo statu, ubi quæ
 ,, homini alendo requirebantur, natura ultro suggererat,
 ,, ubi nulla opum exundantium cura, nulla eas cumulandi
 ,, causa & ratio, nulla indigentia, nulla debilitas. In
 ,, quo statu etiam communicationem fuisse benignissimam
 ,, ego quidem capere nondum possum, Aut tu me doce,
 ,, quænam demum illæ res fuerint, quas ita liberaliter com-
 ,, municaverint homines, inter quos nullum augendi res stu-
 ,, dium.

„dium, nulla egestas; & quibus pleraque resignata, aut
 „nulli usus, circa quæ jam vita nostra maximam partem oc-
 „cupatur. Idem censendum de his, quæ (suprà p 58.) se-
 „quuntur: hæreditates, actiones tutorum, sententi-
 „as judicum, pœnas, bella, fœdera, innumera alia re-
 „cte se habere intelligimus, quando audimus, ea quæ sta-
 „tuti corrupto propria sunt, hodie nisi ad analogiam sta-
 „tus integri fieri non posse, nisi in jus naturæ impingere
 „velis. Atqui de his omnibus recte hætenus & perfecte à
 „Jcis & Politicis traditum fuit; quibus de Alberti hypothese
 „nunquam cogitatum. Nec video quid ex isthac rectius
 „aut accuratius circa talia, quam ex horum principis tradi-
 „queat. Denique in quamcunque se formam vertat Alber-
 „tus, inepta est illa & absurda, quam comminiscitur analo-
 „gia. Cum enim analogia in similitudine, proportionè & pa-
 „ritate rationum consistat, sensus communis utique dicitur,
 „affectionem illam analogicam in illo, ad quod alterum ana-
 „logiam habere dicitur, in excellentiore gradu inesse, quam
 „in eo, quod ad istud analogiam habet. Quo posito necessum
 „fuerit, hæreditates, actiones tutorum, sententias judicum,
 „pœnas, bella, fœdera, in statu integro longe sublimiori gra-
 „du extitisse, quam nunc in corrupto. Dicere autem, quod non
 „existit, cum eo quod existit, analogiam habere, aut illud
 „hujus normam esse, extremum (68.) in stultitia est.

(68.) Dixerit insanum quæ me, totidem audiet. Horat. Satyrar. II. 3.

Sed longè sapientius ipsiq; Juri Nostro conformius
 Paulus I. Cor. IV, 12. Maledicimur & benedicimus.

„Et si delictis dictionum suarum uti me patitur Albertus, po-
 „tius dixerim; non nisi ea normaliter ad statum corruptum
 „referri posse, quæ statui integro insunt formaliter. San-
 „ctitas & innocentia status integri nobis in statu corrupto
 „norma esse, possunt: non ea quæ ab isto statu plane ab-

„horreat. Unde quanquam etiam Alberto non monenti
 „discrimen inter medicinam & jus naturale notum sit, ve-
 „rum tamen adhuc perstat; non magis de legibus peccatum
 „& mortem præsupponentibus, quam de natura & cura
 „morborum, ex statu integro cognosci posse.

§. 10.

„Repetit dehinc obsoletam querelam Albertus, quod
 „jus naturale maximam partem ad usum fori humani re-
 „lerim. Cujus instituti me nondum p. nitet. Quod tamen
 „forum internum quam maxime rectitudinem motuum in-
 „ternorum requirat, ego dudum docui l. 1. c. 3. §. 2. de J. N.
 „& G. Ut mirum videatur, Albertum dicere, me hæc ne-
 „glexisse, aut spernere. Sed quia etiam ex lumine rationis
 „intelligo me peccatorem esse, non autem, quæ ratione Nu-
 „men peccatis offensum placandum sit, quod sola Theologia
 „revelata docet: igitur jus naturale ex solo rationis lumine
 „traditum frustra ad forum internum, saltem primario,
 „refertur, ubi solo hoc jure instructus damnari possum, ab-
 „solvi non possum, & ubi morsus conscientiæ sentiuntur,
 „medicina non invenitur. Unde quæ ad forum internum
 „spectant, ad Theologiam remittere placuit, quæ præter co-
 „gnitionem peccati etiam expiationem docet. Id porro
 facile concessim, Albertum (suprà p. 60.) de libero
 hominis integri arbitrio recte sentire, quippe cui ima-
 go Dei utrosque oculos implet: (credent homines Al-
 berto duo paria (69.) oculorum esse,)

(69.) Sicut Palinuro, scilicet, duo paria temporum fuisse
 credunt homines, quia Somnum utraq; ejus quassasse tempo-
 ra, dicit Virgilius L. V. Æneid. circa fin.

sed tamen revera vocabulum perinde cum magno (70.)
 grano salis capiendum est:

(70.)

(70.) Non majori, quàm apud Claflicos Autores paffim. *Plinius Epiftolar. II. 1. Funus Virginii Rufi, maximi & clariffimi civis, & perinde felicitis. Etc.*

quod neque in dictis ex Auguftino (71.) citatis occurrere de, rehendo.

(71.) *Rectè testimonium effe dicitur, quò rerum veritas approbatur; Salvianus de gubernat. Dei Lib. II. sub init.*

Quæ dein ego de præceptis negativis in ftatu integritatis præfatione libelli de officio hominis & civis meditatus fum, Alberto improbari video, rationes fententiæ meæ (72.) deſtructas non video.

(72.) Vindico ibi (*ſuprà, p. 60.º*) rationem meam, Dn. Pufendorfio à me oppoſitam; ad quam dum ipſe reſpondet nihil, fingit me reſpondiſſe nihil.

Nec valde me movet auguſtum & terribile nomen (73.) Dominici à Soto,

(73.) Præter hunc, quem magni ſemper fecit *τῆς οὐμίας* & Juris Noſtri Doct̃or H. Grotius, commune Noſtratum placitum urgeo, *ſuprà p. 61.* Cur hujus non meminit Adverſarius?

qui adducto loco in principia Theologiæ impingit, quod de ftatu integritatis loquens peccati mortalis mentionem faciat, cum ea diſtinctio peccati mortalis & venialis in ftatu tantum regenerationis locum habeat. Ubi enim omnia peccata quoad effectum paria ſunt, tautologum eſt (74.) terminum moralis adhibere.

(74.) Eſſet, ſi Soto Lutheranus eſſet. Atverò inter Pontificios hoc eſt *ἀνεπιβελουγῆσαι*, putantes, non omne peccatum naturâ ſuâ mortiferum eſſe. Tantum abeſt, ut Soto in principia Theologiæ, ſcilicet ſuæ, per *πυλολογία* impingerit. Dixerim rectius, principia Theologiæ Pontificiorum & Orthodoxorum hîc à Cenſore confuſa eſſe. Numquid autem vacillat hic ex adverſa factione teſtis meus? Non putarim. *Gravior potiùs reſiſtiſſe ſolet, qui à reo*

furgit; Seneca L. IV. (in alia edition V.) *Conso-*
vers. 27.

Deinde etsi nemo negaverit, si Adamus in statu innocentiae aliud quoddam peccatum admisisset, non impune fuisse laturum; tamen quia in solam comestionem de arbore vetita atrocissima illa sanctio mortis expresse statutata legitur; quid obstat, quo minus dicamus, modò isto peccato abstinuisset homo, nullum aliud (75.) peccatum fuisse patraturum? Certe quomodo hanc sententiam ex sacris literis refutare possis, non video. Et si solis autoritatibus res agatur, cur non potius mihi, quam Dominico à Soto credere malis? Præsertim cum illecebra arboris vetitæ in S. Scriptura exprimitur, Deo similem fieri; aliorum peccatorum (76.) illecebras in eo statu, ubi vitiosi cupidines non sunt, percipere non possim. Et rationes quæ exaggerando illi peccato adferuntur, in alia peccata non quadrant.

(75.) Quid actu futurum fuisset, nemini constat; quia destituimur hac de re revelatione. Ex ratione tamen patet, eum, qui lapsus fuit in uno, in pluribus potuisse labi, propter inefficientiam libertatis. Nec difficile fuisset Diabolo, alias ad alia peccata illecebras (76.) homini propinare.

§ II.

Circa prohibitionem matrimonii inter fratres & sorores, quam etiam in statu integro majoris honestatis causa faciendam Albertus absq; idonea ratione (*suprà p. 61.*) tradit, nihil habet quod adferat, præter par distinctionum; inter legis sanctionem & repetitionem, & inter jus naturæ primævum & secundarium. Atqui non sufficit distinctiones afferre, sed oportebat etiam eas ad præsentem quæstionem (77.) adplicare.

(77.) Ap-

(77.) Applico has duas distinctiones eò ipfò locò, *suprà, pag. 61, §. 6. verbis: Nimirum &c.* manifestissime; adeò ut mirer, Censorem ὁρῶντες μὴ ὁρᾶν; quod de hujusmodi dissimulatione dicit *Demosthen. Orat. 1. contra Aristogitonem.*

Nam si vel maxime concedam, legem de vetitis inter fratres & sorores connubiis *Levit. 18.* non primum esse latam, sed tantum repetitam: ostendendum tamen erat, quando illa utiq; (78.) lata foret.

(78.) Quomodo requirere potest, ut ostendam ego, latam illam fuisse? cum non habeam pro positiva, quæ sola est lata, sed pro Naturali, quæ connata est aut ex connata in nobis enata.

Nescio quoque, an qui tot per annos Logicam publicè docuit, capere possit, nullam esse hanc (79.) consecutionem.

(79.) Imò capio, esse nullam; modò ipse hanc meam non esse, percepisset. Ubinam, quæso, hujus vestigium? Ratio verò, quam pro mea agnosco, longè est alia; quam locus parallelus *Part. 1. Compend. pag. 51. §. 52.* argumentatione à minùs ad magis exprimit: *Hoc enim (præceptum vetans in linea recta matrimonium extendendo ad fratres & sorores in linea collateralis,) cum fexerimus in statu corruptionis, solo honestatis studio; multò magis id ex eadem causa fecissemus in statu integro, quamprimùm nulla nobis necessitas obstitisset.*

Levit. XVIII. 9. lex de vetitis inter fratres & sorores connubiis non primum lata est; igitur illa in statu integritatis post multiplicatos homines majoris honestatis causa ferenda fuerat. Utautem inanem illam distinctionem inter jus naturæ primævum & secundarium admittamus, majore (80.) autoritate opus est.

(80.) Minoris nimirum autoritatis apud *Dn. Pufendorfum* quàm apud me est *Dn. Zieglerus*, quem ex multis aliis allego, Antecessor in Illustri Leucorea Primarius.

Quid

Quid tamen revera super hac quæstione definiendum sit, ego hautquicquam metorferim. Id tantum monuerim, solam communionem sanguinis in statu integro sufficientem rationem non esse prohibendi connubii, inde videri constare, quod primi hominis uxor ex viri costa formata sit, caro de carne ipsius; quo nulla major (81.) communio sanguinis existere potest.

(81.) Ergo nec inter parentes & liberos. Ergo inter hos quoque Jure Naturali matrimonium ob communionem sanguinis non prohibetur. Adeo verum est, quod *Aristoteles* jam olim observavit *L. 1. Physic. c. 2. Positò unò absurdo, sequi plura.*

Igitur ni inutili quæstione abstinere malit D. Albertus, aliæ ipsi rationes fuerint investigandæ.

§. 12.

Ad extremum regularum suarum auctoritatem (*suprà p. 62.*) adstruit Albertus, quas sponte (82.) sibi veniste asserit, sicut Zizania solent, quorum etiam proprium est facile se multiplicare.

(82.) hoc est, sine anxietate, quæ mihi objicitur in *Specim. Controvers. Erid. pag. 265.* Habeat verò sua sibi Zizania Pufendorsius; meæ Regulæ mihi subnatæ sunt, sicut arbores nonnullæ haud inutiles

— — — nullis hominum cogentibus ipsæ

Sponte suâ veniunt, camposq; & flumina latè

Curva tenent. *Virgil. 2. Georg. sub init.*

Num autem nos infelices, quibus revelatio regularum Albertinarum facta non est, confusam forte (83.) duntaxat juris naturalis notitiam obtineamus,

(83.) Imò erroneam in multis. Vide *Compend. mei part. 2. passim.* quæ ex genuino istarum regularum usu obtinetur certissima, tunc demum liquido adparebit, quando earum regularum adminiculo huic disciplinæ fastigium impositum

fitum fuerit. Interim non possum non misereri puerilem plane D. Alberti (84.) jaçantiam.

(84.) *Enimvero cujus rectè facta culpantur, is ea si laudat, omnino veniam meretur & reprehensione vacat. Videtur enim non exprobrare, sed defendere. Plus archus, de sui laude.*

qua regulis suis triumphum acclamat; velut à me ultro campus esset desertus: cum mihi suffecerit fundamenta (85.) subruisse;

(85.) Ubinam? cùm ad responsonem meam, quam ipsi in *Specim. Controv. supra, pag. 97.* dedi, nihil jam reponat. Apertiùs de se *Horatius Carm. L. 2. Od. 7.*

— — — *Celerem fugam*

Sensi relicta non benè parmula.

quibus sublatis debilis compages ultro cecruit. Unde verendum est, ne intempestivo triumphatori occinatur: O Corydon, Corydon, quæ te (86.) dementia cepit!

(86.) *Vide supra not. 68. pag. 99.*

§. 13.

Tertium caput D. Albertus miscet ex illis, quæ ipsi per injuriam scilicet à Censore imputata sunt. Negat igitur (*suprà pag. 63.*) primo, mihi abs ipso imputatum, quasi ego statuerim hominem casu in hunc mundum projectum. Ibi enim Epicureos sibi ob oculos fuisse. Sed lupum (87.) ante clamorem festinasse, qua humanitatis plenissima phrasi utitur latrator Albertus.

(87.) Notissimum est proverbium: *λύκος ὁπὸ τῆς βοῆς αὐτοῦ;* quò homo, metuens sibi ex conscientia, humanissimè cum lupo ante clamorem festinante comparatur; sicut *hominem homini lupum esse, lupo à me auribus teneri &c.* etiam dicimus. Hinc *latrator*, nisi ab iis, qui procedunt in publicum, ut *caninam exercent facundiam*; (*Hieron. T. 1. Epistolar. p. 47.*) dici non potero.

O

Ast

Ast profecto tantam calumniarum colluviem expulso aut suppresso nomine in me effusam hisce annis comperi, ut vitio mihi vertendum non sit, si cuiquam plus justo suspicax videar. Et nihilominus dum unam à me avertit calumniam, parem mihi impingit, jubens me (*suprà ibid.*) audere sententiam Lactantii adversus eos, quibuscum loqueretur mutata saltem voce *casu*, in agnatas particulas *utcunqve vel undecunqve*. Sanè quid Lactantius contra Epicureos disputet, non deum ex Alberto discere debebam. Quid ergo opus (88.) erat ista verba mihi occinere, ni forte arbitratur, de veris humani generis originibus non æqvè mihi atqve ipsi constare.

(88.) Imò opus erat, ut id, quod innuis, figmentum de primæva miseriâ hominis, æqvè ac Epicureorum delirium, graviter rejiceretur. *Considerans enim, inquit Lactantius alleg. loco, conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuisse, quam factum est; ut non dicam, potuisse; quia Deus potest omnia; sed necesse est, quod illa providentissima Majestas id effecerit, NB. quod erat melius & rectius.* Quod si verò hoc necesse erat, utiqve Christiano non licebit, per ullam fictionem, hominem, præstantissimum Dei opus, aliter concipere.

Quam porro immanem calumniandi (89.) rabiem hoc arguit,

(89.) *Non dico horrendam rabiem. Jam desinc. Horat. Serm. L., 1. sat. 3. in f.*

quod vocabulum *casus* & *undecunqve* agnatas (90.) particulas vocet, velut & ego non multo melius, quam Epicuræi hominem in mundum projectum statuam. Cum ego isto vocabulo innuam, me d. l. origines hominis in medio relinquere; non quod illas ignorem, aut de iisdem dubitem; sed quia thesi, quam ibi probandam suscepì, veritas constare potest, quamcunqve de illis originibus

ginibus sententiam supponas. Quod si autem neger, calumniandi causa ista ab se scripta, arguendus erit (91.) stupor tam aperta perspexisse non valentis.

(90.) Sunt & manent omninò agnatz, in hoc inprimis argumento. Nam qvi hominem in mundum *undecumq; projectum* audit, casu id factum esse, tantum non potest non putare; præsertim si, qvi casus aliàs lapidum est, hominem NB. *projectum* sibi imagnetur. Senserit autem rectius quàm dixerit; quem *éppulvéciæ* favorem ego ipse *suprà n. 10. pag. 71.* ei exhibeo; tantum abest ut invideam, aut tanti sim (91.) stuporis, ut hanc fabulam intelligere non possim.

In secundo loco, dum unâ via à contradictione extricare sese nititur, alia in eandem prolabi (92.) videtur, dum meis verbis hanc de suo parenthesis infercit:

(92.) Videtur, non prolabitur. Expresse nimirum distingvo *ibid.* inter duplicia præcepta Juris N. quæ in statu corrupto tantum locum inveniunt; alia statuens connasci nobisqve cum gentilibus esse communia; alia non connasci, & apud solos Christianos ex cognitione status integri resultare; adeò ut *de diversis subjectis* (quæ sunt diversa Juris N. axiomata,) *idem predicatum* (connata ea esse,) citra contradictionem affirmare ac negare poterim.

axiomata (Juris N. quæ statui corrupto propria sunt,) Si enim nobis post lapsum connascuntur, quæ statui corrupto propria sunt, quomodo eadem apud Christianos ex cognatione status integri resultare dici potest? cum illa, quæ ex cognitione Christianis propria resultant, non connascantur; quæ autem connascuntur, etiam in non Christianos cadunt. Circa vocabula *oblique* ac *perinde* importunam (93.) pertinaciam (*suprà p. 64.*) ostendit,

(93.) Tribuat hanc sibi ipse! Adversarius, *ludum insolentem ludere perimax*, (*Horat. Carm. L. 3. Od. 29.*) dum bellum movet

vet super his minutiis, jamq̄, ubi non potest aliter, re scilicet per me confectâ, novus adhuc accusationibus pugnare non desistit. Mihi verò minimè silendum erat, cum per voculam, *PERINDE*, *fædo me errore induere ac statum integritatis planè subvertere*, visus ipsi fuerim, *supra Erid. pag. 264.*

dum'ne incommodius quidem verbum sibi excidisse agnoscere detrectat, velut ipse mera oracula funderet. Nec eo fecius mihi fas erit circa vires liberi arbitrii in homine integro vocula *perinde* abstinere. Par pertinacia (*suprà p. 65.*) est circa phrasin (94.) à peccato retrahere,

(94.) Retraho, idem est ac retrò aut in contrariam partem traho; apud Classicos Autores: qui significatûs æquè quadrat ad Deum retrahentem hominem à peccato, in quod erat præcipitem se daturus, ac ad eum qui me ab itinere retrahit. *Cicero de Senect. propè fin. Quo quidem me profiscientem haud sanè quis facile retraxerit.*

quam peccatum jam præsupponere sensus communis dictat: eoq̄ve absurde adhiberi censebitur, ubi de legislatore sermo est, legem positivam primum condente. Illa vero non est eximia humanitas (*suprà ibid.*) à fœdissima se & malitiosissima calumnia abstinuisse, quasi quidquam erroneum illa (95.) dictione contineatur;

(95.) Nimirum hæc est Adversarii in *Specim. Controv. Erid. p. 264.* quam; Critico ejus generis, in quo ipse est, innoxios torquens apices verborum; meorum ad eruendam aliquam heterodoxiam, jure talionis exprobrari posse dico, nec tamen exprobro.

Deum condito præcepto positivo effecisse, ut actus, qui lege naturali peccatum non erat, peccatum fieret. Credo apud Afinium ista calumnia etiam citra hederam venditari poterat. Sed nimirum nemo adhuc repertus est, tam impudens,

prudens, ut æquippollens Grotii dictum l. i. c. i. §. 10. cavillari auderet; Deus positiva vetando illicita facit. Gloritur inde, (*suprà p. 65.*) se humanitatis, ut nempe in meliorem potius quam deteriorem partem incautius dicta interpretetur, in Compendio suo aliquoties specimina edidisse, non applaudentibus omnibus. Atqui non aliud abs isto heic præstitum, nisi quod naturali lege præcipitur, & bonis (96.) omnibus in usu est.

(96.) Utinam & Tibi, Pusendorfii Optime!

Quod si tamen jactura istius ad plausus Tectorvet, mi D. Alberte, age, retracta tuam humanitatem, & impudenter calumniare, Quo facto statim quatuor viri calumniarum, Schwartzius, N. Beckmannus, Frid. Gesenius & Valent. Velthemius in maximos plausus erumpent, teque lubenter fraternitati suæ adscribent. Sed & circa sextum operam ludit Albertus. Licet enim vel maxime honestum etiam utili opponam, ac dicam, in statu integro matrimonia inter fratres & sorores non ob utilitatem fuisse prohibita, sed ob honestatem: non minus tamen hæc dictio (97.) præsupponit

(97.) Non præsupponit. Minus enim honesta non erant conjugia fratrum & sororum, antequam humanum genus sufficienter esset multiplicatum; quò demum factò, honestatem in abstinendo ab hujusmodi conjugiiis, necessitas admittebat. *Vide Compend. mei part. 2. cap. 10. pag. 176. 177.*

Quamquam jam olim observatum fuit à Cicer. L. I. *Offic. in fine: Non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit; sed etiam duobus propositis honestis, utrum honestius?*

id quod ante istud interdictum in usu fuit, minus honestum fuisse. Quid denique solidi subfit commentitiæ (98.) distinctioni (*suprà p. 65.*) inter assertiones de re practica,

(98.) Ergò non different à se diversissimæ illæ propositiones:

O 3

Virtus

Virtus est bona: Virtus est facienda; quarum alterâ bonitas asseritur de virtute; alterâ studium hujus mihi præcipitur. *Vide Compend. mei part. 2. Prolegom. pag. 23. & confer Guil. Grot. in Elem. J. N. c. 2. n. 6.*

& præcepta de eadem, jam (99.) alibi excussum.

(99.) Ubinam?

Non puto habet Albertus quod jactet, per Vindicias suas pessissime (100.) mihi satisfactum.

(100.) Ad triumphum hunc post victoriam modestè canendum adegit me novus hostis Dn. Strimesius, qui jactitans in præfat. *Origin. Moral. p. 3. me à Pufendor fio non uno in loco refutatum esse*, opus habebat moneri de eventu pugnæ in *epist. mea, quam disput. Dn. M. Seligmanni de notitia Status integri contra Strimes. præmissi*. In quo casu verum de se licet omninò efferre. Sic *Antigonus II. cætera fastu vacuus & moderatus, in navali ad Cónprælio amicorum quodam dicente: Non vides, quanto plures sint hostium naves? Me verò ipsum, inquit, quot navibus opponis? Plutarch. de sui laude.*

§. 14.

Cæterum ne Dn. Albertus gratis mihi titulum Censoris impegit, pauca quædam circa Compendium ipsius orthodoxum monere lubet. De cujus scopo haut obscure videtur colligi ex palmario isto axiomate: Quid ex hypothesi status corrupti necessariò nobis faciendum est, id ad analogiam status integri orthodoxe expofitificare nos jubet jus naturæ. Sane analogiam istam (101.) S. Scriptura nullibi deducit,

(101.) Quid mirum? Semper enim distingvendum est inter theses & hypotheses Christianæ Philosophiæ, cujus pars est Jus N. apud Nos. Theses suas unaquæq; disciplina format ipsa; hypotheses verò, quibus non paucæ ex illis nituntur, haud rarò communicat S. Scriptura. Ultra has desiderari aut mutuò peti ab ea potest nihil; adeoq; nec deductio hujus Analogiæ, quæ nihil est aliud quàm ipsa

ipsa thesium formatio, statui integro tanquam hypothesi
suz à Spiritu S. traditz conformis.

nec de illa cuipiam mortalium ante (102.) istum puto in
mentem venit.

(102.) *Mittamus, inquit ipse Pufendorfius in Specim. Controv. pag.
18. Erid. p. 210. quærere, quàm nova aut vetus aliqua sit doctri-
na, & illud unice investigemus, quàm vera aut falsa eadem sit.*

Et pauci videntur eo (103.) delirii prolapsuri,

(103.) *Hæc quidem deliramenta loquitur; Plautus in Amphitr. Act.
2. sc. 2.*

ut bellum, & quicquid actuum in genere humano ex
peccato & subsecuta inde miseria redundavit, ad chimæ-
ricam analogiam status integri (104.) concipere possint
aut velint.

(104.) *Quasi meâ tantopere interfit, num alias mihi consentiat, an
minus; quod est solatium ipsius Pufendorfi, in Spicileg. Con-
trovers. Suprà p. 73. Vide tamen hoc præstitum a me in part.
2. Compend. passim.*

Restat igitur, ut deinceps Jus N. ex Alberti dictatis sit
merendum, & qui cum eo senserit (105.) orthodoxi
vocabulo superbus incedat; cæteri, ad quorum pa-
latum ista non sunt, hæreticorum (106.) nomine tra-
ducantur.

(105.) Sanè non minus ac ego ipse; humili tamen spiritu,
cum superbia sit hæreticorum. Hos verò (106.) non fa-
cit dissensus à me, sed à solo Spiritu S. in divinis do-
ctrinis; sicut vani & profani sunt, qui eas, quas ille Chri-
stianæ Philosophiæ hypotheses suggerit, pertinaciter
detrectant.

In prætatione ad Lectorem video Albertum pari solici-
tudine circa Decalogum agitari, cum Indicis Novitatum
autoribus; quæ (107.) unde originem duxerit, mihi per-
svadere non possum.

(107.) Enimverò hujus meæ sollicitudinis rationes de *ibi lem.*
Cæte-

Cæterum, nota est sententia mea de Decalogo & Juris Naturalis convenientia, *part. 1. Compend. pag. 101. & c.* tamen Jus ad ordinem decem præceptorum non digeram, sed è statu integritatis derivem; cum illud in hoc originariè contineatur & in Decalogo repetatur tantum. *Vid. part. 1. Compend. præfat. p. 13.*

Sane perstat Decalogo autoritas & sanctorum monia sua, etsi disciplina juris naturalis ad ordinem decem præceptorum non digeratur. Quin ipse Albertus in Compendio suo non Decalogum, sed fictitiam analogiam & regulas passim inculcat. Deinceps scire velim, ex qua visione (108.) Alberto constet, quod diabolus torvo vultu decalogum adspiciat,

(108.) Non opus est visione; cum ex revelatione propriaque nostra experientia constet, ipsum omnium boni adeoque etiam legis hujus bona Rom. *VII. 12. 13. 16. 1. Tim. I. 8.* hostem infensissimum esse. Quod odium in hoc Principe Antinomorum per hujusmodi *ἔχθρην* exprimere, quid vetat? Similem ab ipso Spiritu S. in visione Prophetæ depictam vide *Zach. III. 1. 2.*

Cum, siquidem exitio hominum iste (109.) lætatur,

(109.) Lætetur ob maledictionem legis. *Hæc enim ostendit hominem sibi ipsi, quod sit peccator; Ergo reus mortis & dignus æternâ irâ. Ad quid prodest ista humilitatio, confusio & contritio per istum malleum, legem scilicet? Ad hoc prodest, ut gratia ad nos pateat aditus. Sic ergo lex ministra & preparatrix est ad gratiam: Lutherus in Epist. ad Gal. cap. 3. quæ aliaque nostra commoda invidus ille obliquò oculò*

Limat, quin odio obscuro morsuq, venenat.

Horat. L. 1. Epistolar. 14.

gaudio potius perfundi eundem credibile sit conspecto decalogo, quo maledictio & damnatio adversus peccatores promulgatur. Sed & nescio quid purulenti habet adjecta similitudo. Sane infecit genus humanum
pec-

peccato diabolus: idem dum decalogum quoque (*In pr. sf. part. 1. Compend. p. 2.*) corrumpere satagit, num peccati (110.) medicinam corrumpit?

(110.) Omnino, evertendo usum, quem Lex præstare potest, ac debet, Politicum & Didacticum. Ut nihil h. l. dicam de usu Pædagogico; quæ dere, Tyronibus nostris notâ, Theologi passim.

Mallem quoque claro latratu, quam obscura musitatione expressum fuisse, quinam forent illi non pauci, qui rationi magis, quam revelationi faveant, & quibus decalogus nauseam magis quam animum moveat? Fortasse enim fustis (111.) non defuisset.

(111.) Nos scilicet, quorum est humanitatem profiteri, pugnamus fustibus; sicuti

*Cum proroperunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atq; cubilia propter,
Ungvibus & pugnis, dein fustibus, atq; ita porro
Pugnabant armis. Horat. Serm. L. 1. sat. 3.*

Gratis quoque (112.) (*Ibid. p. 3.*) dicitur;

(112.) Quia scilicet hoc audis ingratum. Testis mihi est magni nominis *Gassendus*, adductus à me eo ipso loco, quem oppugnas. *Prætermittendum*, inquit ille in *Philosoph. Epicuri p. 1528. hic non est, quod de primævo hominum statu NB. ab omnibus supponitur, cum disquiritur prima origo Juris.* Vide id *ibid.* prolixissime solidissimeq; deductum.

qui olim ac hodiè in incunabula juris naturalis inquisiverunt, utroque oculo ad antiquissima tempora respexisse, & quomodo primi homines vixerint, fundamenti loco posuisse. Id enim factum est, & fieri convenit ab illis, qui de origine culturæ humanæ, aut civitatum anquirunt. Circa originem juris naturalis id neque factum ab omnibus, aut plerisque, neque fieri necessum est. Sane Grotius primævum hominum

P

statum

statum fundamenti loco non supponit, sed obiter de eo mentionem injicit, ubi (113.) origines domini indagat. (113.) Quanta verò Juris Naturalis portio hinc dependet! Vide *Compend. meum part. 2. cap. 7. seqq.*

Sed nec in nostra hypothesi necessarium est (114.) super primæva hominum conditione inquirere,

(114.) Scilicet quia ita lubet. Jus verò fasquæ erat, altius ascendere dulciusquæ ex ipso fonte bibere.

cum etiam hodie vita humana citra socialitatem sit miserissima. Et qualem vitam primi homines egerint, quæstio facti est, quæ nisi (115.) ex S. Scripturis cognosci non potest.

(115.) Ita omninò; sed tanquam thesis in Theologia, tanquam hypothesis in Philosophia Christiana. Quæ de re nos passim.

Sed & nullum (116.) est illud Alberti (*idid. p. 5.*) ratiocinium; *jus nature perfectum est, igitur illud ex perfectissimo statu derivandum.* Per imperfectum enim (117.) statum perfectioni legis N. nihil decedit, sed cognitio (118.) tantum ejus redditur difficilior, & obsequium ei debitum imminuitur.

(116.) Cur? *quia per imperfectum inquis, (117.) statum perfectioni legis N. nihil decedit. Quomodo? Cognitio enim (ita pergis 118.) tantum ejus redditur difficilior & obsequium ei debitum imminuitur.* Πίστη καλῶς, rectè omnia atque benè. Nam tametsi Legi (*in se*) nihil decedit per statum imperfectum; multum tamen eidem detrahitur (*quoad nos*) in gradu cognitionis & obedientiæ; ideoquæ per inspectionem statûs perfecti notitia debet reddi facilior & obsequium ei debitum augeri. Seqvamus in hoc Deum ipsum, qui legem naturalem, postquam obscurata fuerat post lapsum in nobis, repetiit ex statu integro *per decem sermones in tabulis, qui nihil novum docent, sed quod oblitteratum fuerat, admonent; ut justitia in nobis ignium more, quasi afflatu quodam legis,*

legis, sopita recalesceret; Tertullianus in Epist. seu quisquis alius ejus Autor, de cibis Judaicis,

Quod porro Albertus in Theologiam revelatam expatiatus quæsit & invenit, id ex primo illo & perfecto homine non eruit, sed ex cerebro suo in futiles (119.) regulas fecundò per vanitatem venditavit,

(119.) Hic Rhodus. hic saltandum; sicco, quod facis, pede nihil transiliendum erat. Ostende, si Vir es, has Regulas pati exceptionem.

velut summam perfectionem legi naturali dare idoneum. Quin inter spatiandum in ecstasi incidisse videtur, ita multæ phantasiæ homini occurrerunt, quas nunc exagitare (120.) non vacat.

(120.) Communis formula eorum, qui silentiò difficultatem respondendi dissimulant; Rhetoribus *ἄσπονδοις* vel *ἀπόφασις*; cui oppono aliam ex Ciceron. in Verr. 1. Sunt hæc & alia in Te falsi accusatoris signa permulta, quibus ego nunc non utor.

Ex dicto Rom. I. 25. *Ibid. p. 7.*) nihil minus (121.) quam id colligi potest, hominibus in statu defectionis citra revelationem liquido de jure naturæ constare non posse, nisi in subsidium adsciscant doctrinam Christianam orthodoxam de statu integro. Et quid fiet (122.) de dicto Rom. II. 25. *cujus hæc data opera obliviscitur?*

(121.) Cur? dubio procul, cum non alia detur ratio, propter (122.) dictum Rom. II. 14. & 15. *cujus datâ operâ dicor oblivisci.* Minimè gentium. Absit enim, ut negem, gentes legem Naturæ in cordibus suis habere scriptam, & moratioribus ex iis naturaliter ea, quæ hujus legis sunt, (nonnulla ex iis, *τὰ τῆ νόμου*) facere; *vid. supra p. 46. 47.* Notitiam saltem distinctam hujus Juris & accuratam, qualem nos Christiani habere possumus, ipsis denego; suum nimirum cuique tribuens; haud aliter ac notitiam de Deo congenitam, omnibus quidem hominibus communem

esse, eandem tamen à Christianis, non à gentilibus per certa præsupposita è Theologia Revelata juvari & perfici posse, sæpius observo & inculco.

Debuisse & nobis nominare Monarchomachos (123.) illos,

(123.) Horum exempla non ignota sunt superiori atque nostro ævo. Nec per paralogismos & ἀουδιολογίας, sed per subsumptionem particularis socialitatis in hac aut illa Republica sub socialitate universali omnium hominum, perperam tradita, in hoc præcipitium inciderunt. *Vid. supra, not. 63. p. 94.*

qui citra paralogismos & ἀουδιολογίας socialitatis via incidentes in id præcipitium inciderunt, licitum ob socialitatem esse Regem, si in remp. peccet, è medio tollere. Absurde quoque pro se (*ibid. p. 14.*) adducit Albertus illa (124.) Grotii verba: *jus naturæ per se hominibus non corruptis patet.*

(124.) *Nec video, inq̄vio in præfat. part. 1. Compend. pag. 13. quâ ratione à nobis dissentire possit Grotius; quibus verbis non ipsum consensum, sed obligationem ad consentiendum exprimo. Nam homines non corrupti fuerunt soli homines integri; quos Grotius, monitus & rectè informatus de statu integritatis; non potuisset non pro iisdem habere.*

Per tales non intelliguntur, qui in statu integritatis vivunt, sed quorum judicium per pravam educationem & consuetudinem non est detortum. Et alias non ignotum, quid Grotius de perfectione primi hominis senserit. Neque obdictum (125.) *Jacobi III. 9. ad intelligendum jus naturæ cognitio de homine integro est excutienda. Sane & qui hodie! (126.) exaggerare velit peccatum injusti bellatoris, eodem modo dicere posset;*

(125.) *Cum vitium, inq̄vio allegata præfat. p. 14. maledicendi hominibus exaggerare, ejusq̄ prohibitionem, quæ à Jure N. fit, acuerit quasi*

quasi nobisq; ante oculos ponere vellet ipse Spiritus S. ad nihil aliud quam ad statum integritatis nos reduxit: In Ipsa lingua, inquit Jac. III. 9. maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Exemplum, nimirum, non præceptum hinc peto. Commodissime, cœu spero; cum id imitari nos ipsumq; Jus N. è statu illo, in quo imagine Dei præditus fuit homo, deducere possimus. Ideoq; non æquè huc quadrat (126.) passio Christi aliaque; quæ quidem ad exaggerationem criminum; non autem ad deductionem Juris Naturalis faciunt.

eum morti objicere homines, pro quibus Salvator noster sanguinem suum effuderit. Num vero inde colligere licet: fontem, è quo à Christianis pura Juris N. notitia hauriri debeat, esse orthodoxam doctrinam de passione Salvatoris? Denique & testimonium Melanchthonis hęc, (127.) quo Albertus vult sensu, prolatum non fuit. Qui sane in argumento ad officia Ciceronis (membro I.) quod ad hanc disciplinam attinet, expressis verbis à scriptura abstrahi jubet. Neque ego, inquit, (128.) de religione dico, quæ ex sacris libris petenda est.

(127.) Scilicet quia Melanchthon ipse (128.) religionem ex sacris literis petendam esse, civilem doctrinam è Cicerone hauriri posse, dicit. Quid inde? Mixtio Religionis & doctrinæ de officiis humanis, quam ille imputat Ambrosio, non est deductio Juris N. è Statu integritatis, quam nos docemus: nec à prohibitionem illius ad hujus prohibitionem valet consequentia.

Civilis vitæ consuetudo à Cicerone describitur, cum qua religio nihil pugnat. Scripsit de officiis etiam D. Ambrosius, credo ut pueris inculcaret religionem, de qua videbat in Ciceronianis nihil præcipi. Verum ego religionem ex divinis literis censeo hauriendam esse, de civilibus malim audire Ciceronem. Obiter quoque scire velim, num qui ex cordatis Theologis *fidei orthodoxæ* (129.) *confessores* se vocari velint.

(129.) Scripsi syntacticè; promittens *alleg. præfat. p. 16.* doctrinam de J. N. talem, qualis à *Censöribus fidei orthodoxæ* desiderari possit. Cui enim è pueris bonæ indolis & memoriæ ignotum est, Nomini (*Censör*) jungi posse Genitivum (*orthodoxæ fidei*), cum formam aut qualitatem alicujus describimus. Pedanticissimum, stilò Censöris, ferculum. Sed *tute hoc intristi; tibi omne est exedendum. Terent. in Phorm. Act. 2. sc. 2.*

Sane vitiosa, aut quæ vitii suspecta sunt, censuræ obnoxia habentur. In fidem autem orthodoxam quis censorem se ferret? cujus tituli stoliditatem & insolentiam ipse credo Romanus Pontifex adspernabitur.

§. 15.

Quantquam autem in ipso D. Alberti Compendio passim occurrant, quæ castigationem merentur, tamen cum tam (130.) ignobili labore tempus impendere improbum sit, paucis tantum notabuntur ea, quibus nostra (131.) tradita cavillatur, & vellicat.

(130.) Ἀπίφασις Nostro usitata; *vide supra, not. 120. pag. 115.* Nobili nimirum tantum labore, calumniandi & cavillandi strenuè, tum etiam, quando me sua tradita (131.) cavillari & vellicare dicit, delectatur. Ego verò malo esse inter eos, qui se scelere fieri nolunt nobiles; *Plaut. in Rudente Act. 3. sc. 2. ibidemque innocentes dicuntur.*

Inter quæ vel præcipuum est, (132.) quod (*In part. 1. Comp. cap. 11. p. 39.* dicit,

(132.) Crambe aliquoties cocta, quam respuimus *suprà, not. 10. pag. 71. it. not. 90. pag. 107.*

me hominem in hunc mundum projectum sine artibus & extra societatem miserè viventem posuisse loco hypotheseos meæ, quantumvis ficta illa sit. Sed non magis calumniam certorum hominum, quam stuporem circa istum locum discussisse molestum est. Thesis mea seria & vera est; hominem, prout nunc se habet, in solitudine

tudine destitutum citra ullam opem humanam, aut peculiare Dei auxilium vitam miserissimam agere. Aliàs enim neque in deportatione pœna erit, neque in expositione infantum scelus. Ad illustrandam hanc thesin, quam nemo sanus abnuet, dico; ei veritatem constare, si sequestrata notitia, quæ super veris humani generis originibus ex S. Scriptura hauritur, quamcunque velis hypothesin de origine generis humaniingas. Num ejusmodi fictio veritati quid præjudicat? Sic si dicam, Nicolaus Beckmannus, si vel maxime Spartaci familia ortus, aut è nubibus ad ranæ instar depluisse fingatur, obscænissimus morio est. Num ideo veritati natalium ejus quidquam detrahitur? Unde intipida (133.) valde est gravitas, per quam Albertus (*ibid. pag. 40.*) crepat: *Nos Lutherani adsueti sumus ad fingendum nihil, (ne in philosophia quidem, quia Christiana esse debet,) cujus contrarium à Deo ipso revelatum est.* Quasi ad Lutheranam fidem quid faciat, docendi gratia falsi quid tantisper, ut fictum, non ut verum supponere. Aut quasi Zentgravius (134.) minus bonus Lutheranus censeretur,

(133.) Quia non est ad palatum eorum, quibus Christiana Philosophia nauseam semel movit. In illa verò regnat hoc Axioma: *Cujus contrarium revelatum est, illud per nullam fictionem ponere licet aut presupponere.* Methodus autem Scholasticorum, (134.) quam Virum antiquâ & orthodoxâ fide, Dn. Zentgravium, oportuit imitari (ceu protestatur ipse in *prefat. de Orig. J. N. Juti ob illos, in-quiens, quibus sic Statum formare placuit, loqui cogimur.*) longè est alia ab illa Novatorum. Illi enim philosophantur hypotheticè: positò, ceu loquuntur, Deum non esse, hoc est, tametsi Deus non esset, tamen &c. *bi* categoricè; describentes hominem, ac si undecunque in mundum projectus esset; *illi* à posteriori, *bi* à priori, id, quod non est, presupponunt,

licet

licet adversus me ex absurda hypothefi, ſi Deus non datur, diſputet. Calumnia (135.) quoque eſt,

(135.) Ipfiffima veritas; *vid. Compend. mei part. 1. cap. 1. pag. 39.*
Confer ſuprà, not. 13. pag. 73. Hinc adverſarius in proximè ſequentibus non negat hoc ſe feciſſe, ſed jure id feciſſe vult videri.

quod quifpiam veriſſimam Chriſtianorum notitiam de actuali hominum ſtatu, eoq; feliciffimo in gratiam Gentilium diſſimulet, aut in fictionem de ſtatu miſerrimo tranſmutet. Sane ſi quis Evangelium Gentilibus annunciatuſeſſet, iſ male faceret, ſi in ipſorum gratiam de ſtatu integritatis diſſimularet. Sed diſciplinam juris naturalis, abſtrahendo à peculiari religione, univerſaliter traditurus, non magis (136.) de ſtatu integritatis mentionem facere neceſſum habet, quam qui medicinam docet.

(136.) Claudicat confequentia. Nam è ſtatu integritatis Jus Naturæ, non Medicinam poſſum deducere. *Vid. ſuprà in Specim. Vindic. pag. 53.*

Quod vero, ſi ſtatu integritatis habeatur pro hypothefi, jus naturæ longe certius & clarius, quam ullo alio modo ſine omni errandi periculo deduci poſſit; id quidem ex Alberti Compendio nondum apparet, ex quo generis humani oculi nondum eximia quædam (137.) luce perfuſi cernuntur.

(137.) Hæc opus non eſt in meridie; quamquam ſint, qui in Sole caligent aut tenebras inducant rebus. Utinam ab his non aliæ hodiè adhiberentur artes, quam quibus Menander olim omnibus ejusdem operis Autoribus abſtulit nomen & fulgore quodam ſua claritatis tenebras obduxit. *Quintilian. L. X. cap. 1.*

Et vellem ſcire (138.) aliquid ad diſciplinam juris univerſalis pertinens,

(138) Evolve ſolum *Caput primum Part. 2. Compend. de obligatione*

sione hominis erga Deum; videbis ibi ea, quæ vel planè non tetigisti, vel perperam tractasti, clarissimè secundum hypothesin meam è Jure N. à me deducta esse. Perge, si lubet, in reliquis capitibus, in quibus similiter

Postera lux oritur multò gratissima, Horat. Serm. L. 1. Sat. 3.

quod ex nostra methodo confule tantum, ex Albertino Compendio distinctissimè percipiatur. Porro qui leges naturales ad caput de socialitate refert, non ideo (139.) (Ibid. p. 42.) negat, actionum humanarum finem esse debere gloriam Dei.

(139.) Non tantum hoc non est negandum, sed & expressè asserendum; *vid supra pag. 35. Usitatum est, inquit Melanchol. in Epit. Philos. Mor. pag. 36. in Philosophia dicere, virtutem sibi ipsi finem esse, nec principaliter expetendam esse propter aliud; sed rectius est, etiam secundum rationem, addere aliam potiore finem, scilicet, ut propter Deum expetatur virtus.*

Num autem solus (140.) integritatis status naturalis vocabule insigniri debeat, Specim. Controvers. c. 3. §. 3. satis expositum.

(140.) Si non solus, propriè tamen ac principaliter solus; quia solus naturam rectam, Naturæ nomine vel maxime dignam, complexus fuit. *Vid. Compend. mei part. 1. cap. 1. pag. 42.*

Ea quoque foeda est calumnia, quod (Ibid. p. 44.) §. 33. thesin meam; in disciplina juris naturalis hominem esse considerandam; prout ipsius natura est corrupta; hoc addimento interpoletur: *rectè, modo 1. non excluderetur status integer tanquam principium.* Ast ego non (141.) excludo statum integritatis, sed ab eo præscindo, tanquam qui ad Theologiam revelatam pertineat.

(141.) Imò verò excludis, tanquam principium, quoniam ab eo præscindis. A principis enim qui præscindit, il-

la

la tota præscindit aut rejicit. Nec cur hoc feceris, satis ostendisti; sed adhuc sub iudice lis est.

Quem quare non præsupposuerim tanquam principium huius disciplinæ, satis ostendi. Inepta quoque est secunda nota: *modo status corruptus habeatur pro objecto*. Ubi quæso diversum (142.) à me traditur?

(142.) Nota mea hæc est part. 2. Compend. p. 44. *Modò Status corruptus haberetur pro objecto tantùm & quidem inadæquatò. Quâ fide dissimulas ultima? Quia nimirum status corruptus utramque apud Te paginam facit tanquam adæquatum Juris Naturalis objectum & cognoscendi principium.*

Sane ego pravas inclinationes hominis considero non tanquam regulam agendorum, sed tanquam morbum, cuius pravi affectus per legem naturalem sint sistendi. Quod carpit, (*Ibid. p. 47.*) à me tradi, Jus N. maximam partem circa externa occupari, præter alibi dicta pono illud *Phil. Melancthonis epit. Philos. moral. p. 3. Philosophia moralis est explicatio legis naturæ, demonstrationes ordine in artibus usitato colligens; quantum ratio iudicare potest, quarum conclusiones sunt definitiones virtutum sive præcepta de regenda disciplina in omnibus hominibus, congruentia cum decalogo, quatenus de EXTERNA (143.) disciplina concionatur.*

(143.) Nimirum prout externa rectitudo opponitur internæ in foro Theologico, non in Philosophico. In illo internam denotat bonitatem *ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota memoria tua; Matth. XXII. 37. &c.* adeò ut Deo planè plenèq; juxta rigorem legis satisfieri debeat. Hanc internam rectitudinem non attingit Philosophia moralis; tantum abest ut exhauriat eam aut tradat. In hoc sufficit ad illam bonitas interiorum motuum nobis in statu corrupto viventibus non impossibilis; in qua *Melancthon* formam ipsam actionum Ethicè bonarum constituit;

stituit, tantum abest, ut Philosophia moralis ex ejus sententia hanc primario non requirat. *Cum de actionibus, inquit in Epit. Philos. mor. allegat à Dn. Pufendorffo, pag. 35. loquimur, ipsa actio formà est, videlicet motus voluntatis & cordis obtemperans recto judicio.*

§. 16.

De illa quoque quaestione, (*Ibid. pag. 49.*) an congruum fuerit in statu integritatis præcepta legis naturalis positivis potius quam negativis vocabulis exprimi, alibi (144.) à nobis dictum.

(144.) Sicut & à nobis, *suprà, pag. 60. 61.*

Frustra Albertus objicit; exemplo legis divinæ positivæ cognoscimus, ad ea expresse inculcanda, ad quæ nulla inclinatio est, libertatem contrarietatis sufficere. Nam ad fructum illius arboris utiqve congenitus (145.) homini adpetitus erat, innoxius, ni divinum interdictum accessisset. Ast v. g. ad homicidium; adulterium, furtum, nulla congenita erat inclinatio. Et mirum est, Albertum usque adeo sensui communi ex sola contradicendi libidine reniti; cum meæ (146.) sententiæ quoties placuerit capere queat experimenta.

(145.) Quid tum? Potest enim lex prohibitiva de re indifferente &q; ferri ac de vitiosa: cujus meæ sententiæ (146.) Pufendorffus, quoties placuerit, capere potest experimenta. Sicut enim Tutori super vitiosis (à quibus ille petit exempla,) lex præscribi potest, *ne dispen aut furto subducatur pupilla &c.* ita omnibus civibus injungi potest, *ne gladium gestent, &c.* Unde libertatem contrarietatis ad prohibitionem sufficere constat.

Sane si etiam infimæ conditionis civi magistratus pupillæ cujuspiam tutelam deferat, ac ipsi inculcet, ut pupillæ bona diligenter administret, ejusque pudicitiam custodiat; ea monita æquo is animo admitter. Ast si id solici-

te ingeratur, ne dissipet aut furto subducatur rem pupillæ, ne ipse eandem constupret, aut aliis prostituat, ne venenum eidem propinet, cum indignatione ista audiet velut contumelia sibi illata. Reliqua alibi (147.) discussa sunt;

(147.) Ubinam?

aut talia, (148.) ut non sit operæ pretium istis consecrandis tempus impendere.

(148.) Consveta iterum Censoris ἀνοψαστε; vide supra numeros 120, 130. & paginas 115, 118.

Non possum tamen, quin impudentiam (149.) viri noxam,

(149.) Παιπινολας debet dicere, quâ scapham vocamus scapham & ficum ficum.

qui, ut sese Strimesio velut nimium melaudasset, purget, (*In prefat. part. 2. Compend. p. 7.*) dicit: comparative, & si cum Hobbesio comparer, me laudasse; & uti pullus (150.) ipsius,

(150.) Qui jamjam volitat docta per ora Virum, Dn. M. Seligmannus, Collegii Minoris Principum in hac Academia Collegiatus, *in disput. contra Dn. Strimes. allegatâ suprâ not. 100. pag. 110.* Falis tumerat; Post Professor fuit Rostochii, & Archidiaconus; creatusque ibi Theologiæ Licentiatus, hodie est Ecclesiastes Lipsiensis dignissimus.

cui adhuc rostrum flavet, pipit, non tali comparatione, qua virtus cum vitio, sed qua minus vitium cum majore vitio comparatur. Ast ego te cum comparativa tua laude in malam rem (151.) abire jubeo,

(151.) Vide de hac phrasi *suprâ not. 61. p. 92.*

& te vicissim quoque comparative ad Fridericum Geseonium, & Valentinum Velthemium, aut si hæc non sufficiunt, ad Josuam Schwartzium & Nic. Beckmannum laudo, Equidem gratia Te mea opus non habere, lubens agno-

agnosco. Et ita morosus ego sum, ut si vel in cœlū me laudibus extollas, Compendium tamentuum (152.) ex osculaturus non sim. Vehementer tamen svaferim, ut cavillandi & calumniandi finem facias, & si utiqve litibus delectaris, alium tibi deligas adversarium, magis otio abundantem, qui cum vitiligationis ferram reciproces. Est enāh, cuius prurientes in latyram manus vix contineo, abs quo erudito orbi ludibrio expositus, serò ingemifces, ni quietem tibi maturè imperare queas.

(152.) — *Recti finem extremumq; esse recuso*

Euge tuum & belle. Persius Sat. 1.

Minz verò quæ subjiciuntur, non magis me terrent quàm fulgur ex pelvi. Convitiā, quæ suppetias Tibi ferre volunt, sunt vitia; *Astris*

Circa qua semper volitans Infamia pennis,

Sil. Ital. L. XV.

Mecum honor & laudes & larè gloria vultu,

Es decus & niveis victoria concolor alis;

Me cinctus laurè perducit ad astra triumphus.

Sicipsa Virtus, apud eundem *ibid.* Hæc mecum; imò DOMINUS mecum! Quis contra me?



IV.

PARÆNESIS

Ad

STUDIOSAM JUVEN-
TUTEM,

Edita A. MDCLXXXI.

Argumentum desumptum est e Spi-
cilegio Controversiarum, Dn.

SAMUELIS PUFENDORFII,

Ejusque verbis supra à p. 68. usque ad
p. 100. minori typo in textu
expressis.*Ad Generosiss. Juvenem. Dn. Georgium à Werthern, Ma-
ximi Parentis Filium ad magna
Natum.*

EX quo, Generosissime WERTHERE, supe-
riori annò Lipsiæ valedixisti, Te primà jam
vice alloquor, hac quidem epistola interpre-
te usus; quò unò adhuc modò me Tibi pos-
sam ostendere, ac præstare, ut protinus unà simus. Pu-
blice vero ad Te verba facere volui, ut ereptam nobis
fa.

facultatem privatim colloquendi eò gravius vindicarem. Enimverò quòd præfenti Tibi quotidie præstebam officium, de studiis Tuis Tecum differens; id, ubi semel adhuc est iterandum, paulò splendidius esse convenit. Argumentum tamen, quò inter confabulandum quàm maxime delectabamur, mutare, haud consultum mihi esse videtur. *Mos antiquis fuit, inque ad meam, inquit Seneca, servatus ætatem, primis epistolæ verbis adjicere: Si vales, bene est. Rectè & nos dicimus: Si philosopharis, bene est. Valere enim hoc denuum est. Sine hoc ager est animus. Corpus quoque etiam si magnas habet vires, non aliter quàm furiosi aut phrenetici validam est. Quæ verba nescio ad quem magis quàm ad me hòc tempore quadrare possint. Formula illa: Si vales, bene est; hæcenus apud nos, dubiæ ac incertæ valetudinis homines, in ore omnium fuit, tantum abest, ut in literis, sive scripserimus eas sive scriptas acceperimus, conspecta non fuerit. Sed & rectè ad Te jam dico: Si philosopharis, bene est. De illò tempore, quò apud nos fuisti, dicere possum, quòd Plinius de suo: Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, tunc maxime florebat. Nichil hæc Tu, O Flos ingenuæ Nobilitatis, quòd ad florem harum Tiliarum in Tua persona facere videbatur, intermisisti. Nos, qui penitus & domi Te inspicimus, quotidie de Te dicere poteramus; Philosopharis; bene est: Imò jam in eo eramus, ut ad nutum EXCELLENTISSIMI PARENTIS TUI, Clarissimo Caleno, studiorum Tuorum Moderatore, svadente, disciplinam Juris Naturalis Christianam mea methodo tractaremus, Teque Reipublicæ prudentem & Christianum civem magis magisque formaremus. Sed cum interrupta sit hæc tela nostra, majori vi, quàm ut resistere potuerimus: bene*

Sub. Int. Epist.
XV.

Estiolar. l. 10.

beneficentiam, Te hunc in modum, absentem quoque, philosophari; In quem finem libellum hunc, ejusdem nominis argumenti, Tibi offerre volui, debui; felicem me predicaturus, si eadem opera foris Adversarium videro, domi Te, cum aliis commilitonibus Tuis, ad tuendam Christianam Philosophiam, imprimis in Doctrina Juris Naturalis, instruxero. Cum autem meum illud prius commodum obtineri non posse animadvertarem, nisi de initio pugnae ejusque progressu legentibus constaret; sicut nec posterius, quod Tuum, Tuique similitum sit, nisi post tradita praecepta, exemplo meo, ferente ira occasione, Jus Naturae docerem; utrumque praestare jam allaboravi. Rem vero, uti haec inter nos, qui dissentimus, gesta fuit, quid clarius exprimeret, quam inspectio ipsius pugnae? quam ob causam chartas *amicitiae* editas denuò hic exhibeo; certus, ex attenta illarum perlectione intelligi posse, penes veritatem à me defensam, omninò victoriam esse. Exemplum autem ut praeberem, ad Jus Naturae observandum, quid commodius à me inveniri potuisset, quam quod à dissentiente ipso suggeritur? ut nimirum acerbitatem ejus lenitate mea compensarem, & injurias ferendas, non inferendas esse, ostenderem. Idem in priori quoque conflictu feci; tametsi contrarium mihi jam imputetur. Quid mirum? Nam in accusando (a) eadem qua in (b) promittendo fide agendum fuit; ut falso tribuatur mihi, quod contra promissum ab accusante ipso commissum fuit. Facile vero adduci me patiar, ut credam, sensisse dissentientem, dum scriptionem ador-

(a) Dn. Pufendorfus in *spicilegio*. *Controvers.* p. 49. (*Supra* p. 28.) Ita proterve me laceffit (Albertus) id iracundiae & ineptiarum miscet.

(b) Idem *ibid.* p. 30. (*Supra* p. 29.) Non plura dicam, quam pro me necessarium est; caetera veteri amicitiae condonabuntur.

adornaret, apud animum suum dictamen Juris Naturalis, quò hujusmodi omnes cavillandi & calumniandi artes severissimè prohibentur; & ex hac causâ delictum suum apud Lectorem dissimulare, me verò, in præjudicium causæ justæ, reum ejusdem agere voluisse. Recens factum; confessio Antecessorum antiqua:

*At nos virtutes ipsas invertimus atque
Sincerum cupimus vas incrustare.*

Horat. Serm.
L. I. sat. 3.

In judicio de
Hadr. Valesii
disceptat, quæ
de Basilicis in-
scribitur, pag. 3.

Quum autem verissimum sit, quod è Junioribus Joh. Launojus alicubi scribit: *Quò in libro probra & verba petulantia invenies, accuratas rationes vel nullas vel certè paucas invenies;* minus congruum mihi visum fuit, sterili, ex hac ratione Adversarii mei scripto in modum disputantium respondere; cum hæc methodus, nisi in quæstionibus de rebus ipsis, non sit adhibenda. Notulas itaque textui, è Spicilegio dissentientis integrè ac bona fide huc transumpto, saltem adjeci, quibus à me àculeos & varias criminationes modestè declinarem: & quæ occasionem mihi adhuc aliquam ad utilem & seriâ meditationem dare videbantur, in Parænesin ad Studiosam juventutem redegi; satisfaciens, quod spero, hac ratione tum dissentienti, tum discentibus meæque adversus utrosque obligationi & intentioni. Tamen si verò nihil magis quàm intestina eruditorum bella deprecor & detestor; publicè tamen fatendum mihi est atque indicandum, me veritatem, metu convitiourum, quæ ad Satyricam usque abundantiam minatur Antagonista, deserere nec velle nec posse; me quoque à nemine hominum, quisquis ille fuerit, hac via ad silentium redigendum esse.

In spicil. con-
trov. pag. 85.
Supra, p. 125.

R

Sed

Ennius in Phœ-
nice,

*Sed Virum vera virtute vivere animatum addeceat,
Fortiterque innoxium vacare adversus Adversarios.
Ea libertas est, qui pectus purum & firmum gestitat;
Aliæ res obnoxia nocte in obscura latent.*

Sed quid apud Te, Generosissime WERTHERE, qui animum studiaque mea nosti penitus, pluribus hæc deducam? Imò ne exemplo quidem meo, postquam præcepta partim percepisti pridem, partim denuò jam audis, nisi ad abundantiam opus habes Tu, cui Exemplar omnium virtutum domi obversatur absolutissimum, PARENS TUUS ILLUSTRIS, quem POTENTISSIMUS SAXONIE ELECTOR, Dominus Noster Clementissimus, nuper ex merito SANCTI RI SENATUI, bonis omnibus applaudentibus, gratiosissime adscripsit, consilia nimirum vindicans sibi, Tibi exempla relinquens saluberrima, quæ & Tu aliquando imitari, sicut jam intueri, possis. Nihil igitur superest, quam ut Deum precer, velit Illum Tibi, Te illi porro servare; sic enim Respublica & Inclutissima WERTHERORUM domus, quod desiderant, nunquam habebunt. B. V. Lips. 20. Mart. A. 1681.

D. VAL. ALBERTI



PARÆ-

PARÆNESIS

Ad

STUDIOSAM JUVENTUTEM, Delicias olim & olim Noſtras.



Otium atque ſolitudo, ut fatear quod res eſt, pariunt mihi hunc ſcribendi & compellendi modum. Mirum verò; cum eorum qui otiantur, non ſit ſcribere; Nec ſolitariorum, cum Lib. III. de Of. ſic. ſub init. aliis loqui. Sequor autem hac in re Cicero-

nem, ſicut Cicero ipſe Scipionem Africanum, ſentiens & in me, quod expertos ſe fatentur eſſe illi, quam duæ hæ res, quæ langvorem afferunt cæteris, animum ſtudio ſapientiæ deditum acuere poſſint atque commovere. Liceat nimirum jam magnis parva, quod eſt, me Ciceroni componere; qui hujus alias modeſtiam facio meam, meque, quod ipſe de ſe collato cum Scipione dicit, imitatione tantam ingenii præſtantiam conſequi non poſſe, facile agnoſco. Enim verò otium hoc meum cum Ciceronis otio, hæc ſolitudo mea cum illa, tametsi ipſe in hoc Scipioni ſe diſſimilem eſſe fateatur, commodè poteſt comparari. Noſtrum nimirum utrinque otium negotii inopia, non requieſcendi ſtudio conſtitutum eſt. Exincto enim Senatu deletisque Judiciis Romæ, Lipſiæ verò diſſipato Studioſorum Juvenum cœtu, quid eſt, quod dignum nobis, aut in Curia Cicero, aut ego in cathedra, agere poſſimus? Fortuna, quæ utrobique inverſa eſt, neceſſitatem quieſcendi reliquit nobis aut impoſuit. Fruebamur hætenuſtanta, quanta maxima in Scholis eſſe poteſt, felicitate. Ornamenta familiarum,

R 2

ſeculi

seculi oblectamenta, pignora posteritatis summa, nimirum spei, summæ indolis Juvenes cum ad Nos tanquam ad mercaturam bonarum artium magnò numero fuissent profecti, tum Urbis auctoritatem tum Magistrorum suorum splendide decorabant, Vigebant studia: certabatur ingeniis, eloquentia, doctrinâ publicè privatimq; præmia quoque diversis anni temporibus inter dignos distribuiebantur; *Quæ singula mihi voluptati fuerunt; atque inter hæc illud, quod non pauci ex ipsis me ut rectorem, ut Magistrum intuebantur, me emulari, meis instare vestigiis videbantur. O dies letos, notandosque mihi candidissimo calculo! Quid enim aut nobis letius, quam Nobilissimos Juvenes nomen & famam ex studiis petere: aut mihi optatius, quam me non minus ac alios ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum? Sed & ô mœstos dies, quibus hoc gaudio frui desimus! Enimvero non armis impiis, quæ Ciceronem à rebus forensibusque negotiis abstraxerant, prohibiti ortum persequimur; vitamen haud minori cathedris exclusi, ingratas domi ferias agimus, silentesque latemus. Pestilentia enim, ut innum calamitatis nostræ fundum cum Historico in compendio detegam, superiori anno aliarum rerum otium præbuit. Hæc cum immortales literas extinguere non possit, harum studiosos ex mortalibus urbe nostra, nonnullos etiam orbe ipsò exegit, ut præter subfellia in publicis privatisque doctrinæ locis, quibuscum ageremus, non invenerimus. Ingens damnum; quod malò ipsò diutiùs sævit atque pertinaciùs. Hòc enim, Dei gratia, jam superato, illud vix levatum, nondum sublarum esse sentimus. Tecta procul visa tumulorumque cumuli mentes averterunt eorum, qui adire Lipsiam aut ad nos redire voluerunt; haud aliter ac*
 Vollicos

Plinius Epistolar. VI. 11.

Livius L. IV.

Volscos olim Æquosq; aspectu Romæ multorumq; ex peste sepulchrorum ab obsidione Urbis avocatos fuisse legimus. Hôc in otio meo, in quo doctrina, quæ ab ore nostro pendet, conticuerat propè omnis, mutus docere volui; quemadmodum mihi ipsi cum mutis Doctoribus, qui, tamen si mortui, in suis adhuc scriptis vivunt, unicè agendum fuit. Moram enim ulteriorem loquendi cum cupida bonarum literarum Juventute, ferre non potui; præsertim cum non pauci degant haud procul ab urbe nostra, spemqve redeundi præbeant nobis: *desiderium autem absentium nihil perinde ac vicinitas acuat; quoque propius accesseris ad spem fruendi, hoc impatientius cupias.* Cogitanti etiam mihi de argumento tum tempus ipsùm, quò hæc scribo, tum è longinquo Amicus, sub eruditi specie certaminis, id promptè suggestit. Cum enim meminissem ipse, me jam ab aliquo tempore sub initium veris tradidisse doctrinam Juris Naturalis orthodoxæ, variosq; aliorum errores placidè coarguisse, eandemqve cum utilitate sua tum gratia novitatis se denuo commendare materiam posse; accessit stimulus è Svecia, qui vel solus me cunctantem aculeo suo excitare potuisset. Hæc igitur meam doctrinam jam repetere, meum hoc opus agere volui, ne

Idem L. III.

Plinius Epistolar. VI. 2.

Horatius Satyr. II. 3.

--- -- *Aliena negotia curans*

Excusatus propriis,

Damascippum ineptè imitarer. Quod si vero Cicero, cum Filio suo Athenis agente, per literas acturus, nulum aliud argumentum magis salutare putavit esse, quàm *quod de officii peteret è Philosophia, rerum divinarum & humanarum scientia*; quid Academicæ, latenti etiam extra Academiam, Juventuti magis prodesse poterit apud nos Christianos, quàm inculcare illi usum non

L. II. de Off. sub init.

minùs quàm præcepta doctrinæ Christianæ de Jure Naturali? præsertim cum hac tractatione facies totius Christianæ Philosophiæ delineanda sit à nobis, imo exprimenda; cujus cognitio non potest non Christianis sumè proficua esse atq; salutaris. Hoc autem faciam omnium primo clareqve ostendam, Philosophiam Christianam non minùs ac Solem in meridie dari, partemqve illius eximiam esse disciplinam Juris Naturalis, eò scilicet modo traditam, qui Christianos decet; hanc vero firmissimè niti notitia de statu integritatis, simul evincam; meæ hinc sententiæ, præ aliorum opinionibus, præcium atq; verobur modestè petiturus. *Hoc ego opus, fortasse majus, quàm ut possit meis viribus sustineri; veritatis fiducia suscepi: quod tamen etiamsi ego defecerim, Deo, cujus est hoc munus, adjuvante, veritas ipsa complebit.*

Laet. int. L.
contra falsam
sapienham
cap. I.

L.
DE PHILOSOPHIA
CHRISTIANA.

Esse verò inter Christianos, qui Christianam Philosophiam in dubium vocent, quis non miretur? Hi enim quid aliud agunt, quàm quod domesticum thesaurum, juxta tritum in sermone proverbium, calumniantur? Sapientiam quidem comune hominum bonum esse, non nego; nec dum majorem ejus perfectionem vindico Christianis, nullam prorsus gentilibus relinquo. Horum tamen sapientissimi, non minùs verè quàm modestè facti sunt ipsi, Philosophos se, hoc est, studiosos tantum sapientiæ ejusque cupidos magis quam capaces esse: quod cum & nos, qui ex Christianis humanam sapientiam docemus, fateri necesse habeamus, discendum hinc, statuendumqve nobis est, Philosophiæ studium ita comparatum esse, ut ab utrisque, tam Christianis quam gentilibus, perfici magis magisque debeat & possit. Causam nimirum, ob quam Sophocles olim, Solon atqve Plato, Terentius Varro aliiqve quam plurimi, morti jam in extrema senectute proximi, disce-

Valer. Maximus L. VIII. c.
7. Cicero de senectute.

re non erubuerunt, clare exprimunt omnibusque re-
 ète aptant Christiani Scriptores: *Nemo est, qui doceri
 non egeat, dum vivit. Semper enim hic in via sumus, &
 nulla aetas, nullum ingenium, ad ultima scientiæ aut sapi-
 entie perducet.* Nec media, quæ utrobique adhiberi de-
 bent, prorsus sunt diversa: *Φύσις, μάθησις καὶ ἀσκησις*; Trimū
 perfectum; ut ingenium doctriina & exercitatione juve-
 mus strenue variisque scientiis splendide imbuiamus. E-
 nim vero S. Scriptura, si quid ab ea commodi hōc locō spe-
 rari potest, potest autem quamplurimum, nobis Chri-
 stianis, non tam lecta quam intellecta, propria est; *hanc
 tamen præstructam divinæ literaturæ antiquitatem thesau-
 rum fuisse posteriori cuique sapientiæ, credit inter Primo-
 re, scholæ nostræ Tertullianus. Quis Poetarum, quis
 Sophistarum, qui non de Prophetarum fonte potaverit? In-
 de igitur & Philosophi sum ingenii sui rigaverunt.* Felix
 aditus ad hæc adyta; nisi in ipso ingressu temere aber-
 rassent. Gentiles enim cum fuerint, voces divinas fi-
 delium in morem, ceu par erat, non perceperunt, aut
 usurparunt. *Homines, gloriæ & eloquentiæ solius libidi-
 nosi, si quid in sacris offenderunt, exinde regestum pro in-
 stituto curiositatis ad propria verterunt, neque satis creden-
 tes divina esse, quò minus interpolarent, neque satis intel-
 ligentes, ut adhuc tunc subnubila, etiam ipsis Judæis obum-
 brata, quorum propria videbantur. Nam & si qua sim-
 plicitas erat veritatis, eò magis scrupulositas humana fidem
 aspernata nutabat, per quod in incertam miscuerunt etiam
 quod invenerant certum.* O jcturam margaritarum
 nostrarum, quas illi porci objectas sibi conculcarunt
 pedibus suis! Verus est monitum: *ἀνάλοκ χειρῶν, ἀνάλοκ
 ποδῶν*, illotis manibus pedibusque rem ne aggreditor.
 Hoc vero quando nes, qui maxime possumus, pruden-
 ter

Ex antiquis
 Ambrosius L.
 I. Off. cap. 1.
 E Junioribus
 Lippius Cen-
 tur. 4. Miscell.
 Ep. 40.

In Apologeticis
 cap. 47.

Idem ibid.

Matth. VII. 6.

ter observamus, & ex Locis illis Communibus, quos Spiritus S. in commodum etiam Philosophorum, in Sacrum Volumen redegit, ea excerpimus, quæ in succum & sanguinem à nobis possunt verti, næ rectissime felicissimeque philosophari, ipsamque hanc, quam doceo, sapientiam Christianam indipisci possumus.

Horat. Satyr.
I. 1.

Est inter Tanaim quiddam socerumque Viselli.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Cicero in Ver-
rem II.

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Quid est igitur, quod fieri possit? Non obscurum, opinor & absconditum. Qui nimirum noverit hypotheses divinas humanis thesibus, quod est, fundamentum rei natura sua caducæ firmissimum substruere,

Horat. Episto-
lar. III.

Ille per extentum funem mihi posse videtur

Ire;

tantum abest, ut extra oleas vegetur unquam, aut ullibi limites ab ipso moveantur. Nostis, Studiosi Juvenes, ingenium Philosophiæ, cujus proprium est studium inquirendi in causas, a quibus rerum natura pendet; modumque, quò illæ subsistunt, definiendi. Physici hæc opera est, ut ostendat, qua ratione fontes & flumina ortum suum habeant ex mari: hoc opus est Metaphysici, ut declaret, quam variè diversissimarum rerum sint modi: hic labor Astronomi est, ut cælum contingat interra, siderumque faciem in tanta locorum distantia clarissime intueatur: hæc Ethici est cura, ut modum, quò perturbationes animi redigi possint in ordinem, præscribat; haud aliter ac Politicus toti civitati legibus salutaribus de tranquillitate prospicere studet. Arduum profecto negotium, præsertim si amplitudinem numerumque prope innumerum hujusmodi doctrinarum altius expendatis. Nos paucis quibusdam exemplis con-

contenti esse potuimus; sed ut alia quamplurima in illis, *ὡς ἐν τῶν τε* exhiberemus. Quod si vero in levioribus negotiis socias admittere operas dedecori non est laborantibus: Quis vitio vertat Philosophiæ, si subsidiis utatur tanto oneri paribus, & quæ firma prorsus sint atque certa? Antequam nimirum sollicita possit esse de causis, quarum efficaciam tam variæ res sint adscribendæ; aut de modo, quò factæ sint aut existant ipsæ, aut denique operentur; necesse est, eam prius certiolem fieri de rebus ipsis, an in hac rerum universitate reverà dentur? an sub hac aut alia facie conspectæ sint & observatæ? Nervosior Scholæ est dictio: Post *τὸν* sequitur *τὸ δὲ*. Aurò atque argento aliisque splendidissimis terræ fœtibus destitueretur scientia naturalis, neq; more suò tractare illos ac perpolire posset, nisi fossores metallorum, homines experti magis quam scientes, narrationibus suis illam prius notitiâ suâ ditassent. De floribus & arboribus, de vite atque segete, nisi qui hortorum & agrorum curam gerunt, sua benignè communicarent, parum aut nihil decerpere possent curiosi rerum naturalium scrutatores; adeò verum hîc est, quod Græcorum lingua proverbii vicem, antiquissimò versu, celebratum fuisse testatur Gellius:

Sæpè etiam est olitor valdè opportuna locutus.

Lib. II. cap. 6.

Enimverò hæc humana tantùm subsidia sunt, quæ Philosophiæ passim offeruntur: accedunt etiam divina e sacris literis, istis quò sublimiora, eò quoque certiora, quibus uti, quid? niti securissimè possit. Quoties decipit nos historiæ naturalis Scriptor Plinius, incerta aut falsa narratione occasionem præbens Philosophis, ut nugæ agerent, cum seria se tractare veraque inquirere arbitrarentur? Absit, ut Spiritum S. secuti, periculum

S

erran-

errandi subeamus! Agite igitur Charissimi, favete fortunæ vestræ, quæ tantum Vobis thesaurum indulget, & ex eo divinas depromite narrationes, quæ in studio sapientiæ humanæ Vos felicissimè juvare possint. At, quid audio mihi objici, quid exprobrari? *Desiderantur adhuc illæ theses aut assertiones Spiritus S. quas Philosophus Christianus in foro humano convertit in hypotheses certissimarum scientiarum.* Sanctum desiderium & salutare; si ferium sit & expleri se patiatur. *Istas enim theses revelatas, scientiarum humanarum hypotheses, orbi erudito, quod rogor, haud invidebo.*

Dr. Pufendorf-
sus in Spicileg.
Controversiar.
cap. 2. §. 7.
pag. 63. *Supra*,
p. 89.

Horat. Episto-
lar. II. 1.

-- -- -- *Abrotonum aegro*
Non audei nisi qui didicit, dare. Quod Medicorum est,
Promittunt Medici ;

In Specim.
Vindictar.
pag. 19. seqq.
Supra p. 50. 51..

Ego, quod Philosophi est Christiani. Quinimod' jam præstiti ex parte, meque bonum nomen esse, solvendo fatis ostendi. Exempla nimirum nonnulla ex hujusmodi hypothefibus à me fuerunt adducta, quæ reliquis fidem conciliare, meam apud æquos Lectores facile liberare potuerunt. Horum tamen, cum apud dissentientem nullum invenerint locum, patrocinium in me est recipiendum, antequam alia deuo à me subji-
antur. Sed, quæ lætitia perfundor, videns, tam divitem esse Philosophiam Christianam, ut nova possit suggere; tam potentem, ut vetera possit tueri! Omnia verò cum disciplinis & scientiis humanis inserviant, alia tamen ad novas in iis theses formandas, alia ad formatas magis magisque firmandas egregiè faciunt. Ex utroque genere unum atque alterum in medium attuleram; in gratiam quidem Logicæ Christianæ, assertiones Spiritus S. de Deo-homine & de homine-Deo, quæ fundamentum præbent propositionibus inusita-
tis;

tis; natō nimirum illō & ipsis demum enatis, in certum Dialecticæ incrementum. Postquam enim hoc universum Heros venerat geminæ substantiæ, qualem antea non viderat orbis, jus; fasq; erat novum etiam prædicandi modum adhibere, quōtanti mysterii veritas assereretur, exprimeretur. Quod tam clarum est atq; certū, ut ^{Supra, p. 11.} excipi nihil potuerit aut ulterius à me postulari, quam *ut assumam hæc illam Theologicam & convertam eam in hypothese certissime scientiæ, ac gignam nova theoremata Philosophica, cum, quid novæ scientiæ humanæ è propositionibus personalibus exsculpi queat, non adpareat dissentienti. Nam à Deo posse fieri, quæ rationis humanæ captum excedunt, etiam Philosophos non Christianos admittere.* Saltus ingens, ex quæstione de propositionibus in quæstiones de rebus ipsis; similis illi, quem in cathedra *μαθησαοων εις αλλο γινωσκω* dicimus; quem si committerem, in Logicam gravissimè peccarem, nullum ei augmentum conferrem. Jubeor nimirum ex hac doctrina certissimam scientiam & nova theoremata Philosophica exsculpere; hoc est, artem organicam cum disciplinis principalibus confundere, quodq; Ancillæ suo jure accessit commodum, Dominæ ipsi per vim vindicare. Quæsi verò, quæ propriis abundat, peregrinas appetat divitiarum, aut ego nesciam illas depromere contraque invidos ea, quæ par est, modestia ostentare. Periculum hujus mei muneris feci in tribus è Christiana Physica desumptis exemplis, quæ illius abundantia promptè mihi supeditavit. Primum vindicabat Nobis notitiam certissimam de origine materiæ, quam sapientissimi gentilium non minùs impugnabant quàm ignorabant. Hodie quidem facile Philosophis est dicere: *Materiam Deo non* ^{Supra, p. 91.} *esse coævam, ex ratione ostendi posse;* postquam nimirum

Gassendus sect.
1. Phys. L. I.
c. 6. & L. VII.
c. 6.

facem rationi Gratiaæ præfert lumen. Longè alia Philosophorum gentilium erat conditio, *qui omnes in id consenserunt, ut materia præfuerit, ex qua procreatus sit mundus, quòd nihil ex nihilo fiat.* Videntes enim, minutissimis etiam rebus sua esse principia, hoc Universum ex nihilo habere ortum, persuadere non poterant sibi. Quid igitur aliud facerent, quàm ut Artifici Artificum Deo, ne deteriores esset conditionis quàm opifices ex hominibus, suam semper materiam assignarent, qua in producendis operibus suis commodè uti posset. Speciosum commentum; adeò ut ausim dicere, nos, nisi Christiani essemus, ne hodiè quidem illud improbaturos esse. Idem statuendum de secundo exemplo, quod ab aquis supra cœlestibus perii. Has soli norunt Christiani; Creatori credentes; quæ dubio procul in oculis gentilium diffuerent, aut fabulæ Pythagoræorum, qua ex superstitione in numerum denarium novenario (*ἑβδομήκοντα τὰ τὸν ἕβδομὸν*, eorum, quæ in cœlo feruntur,) oppositam terram (*ἀντίχθονα*) temeraria fictione adjiciebant, indignè postponerentur. Mare quidem meteoricæ non esse naturæ, quod tertio locò adduxi, fateor, facilius esse cognitionis. Aristoteli tamen, illi altissimæ eruditionis Oceano, quod contigit, nemo ex nobis, absque lumine gratiaæ si incederemus, alienum à se putare posset. Quot ex Christianis hodiè, immemores divini testimonii, fontes & flumina ex mari derivare negligunt? tam vastæ molis & inexhaustæ corpora copiae densantes ex vaporibus, aut ex pluvia & nive colligentes in terræ cavernis exqueiis, libertate collata, tanquam ex carceribus suis emittentes; quos inter Illustris Peirescius; qui non habuit hac sententia constantiorem. Jurarem, hos ad Aristotelem quatuor,

Vid. Aristotel.
L. I. Metaphys.
c. 5.

Ecclesiastæ L. 7.

Gassendus in
Vitâ, L. III.

tutor, ſi haberent, pedibus acceſſuros interqve aquas
 meteoricas recepturos eſſe mare, cujus quotidianas ac-
 ceſſiones, flumina numero & magnitudine conſpicua,
 ex illis eſſe cenſent; niſi aquas, quæ ſub cœlo ſunt, in lo-
 cum unum à Creatore congregatas fuiſſe; recorda-
 rentur. Felix memoria; quæ in aliis etiam quæſtio- Genef. I. 9.
 nibus phyſicis ad prima illa tempora recurrens, non
 poteſt non in cognoscendo intellectum maximo-
 perè juvare. Somnium quorundam Novatorum de
 animalibus, imò de hominibus in Luna exiſtentibus, Genef. I. 14.
ſeqq.
 protinùſevaneſcit, ſi Luminare hoc magnum, præſidem
 noctis temporumq; metatorem & indicem, conſtitutum,
 ſolam terram animantibus ſedem aſſignatam eſſe, memi-
 nerimus. Seponatur hæc hiſtoria, & ex aliis rationi-
 bus impugnentur illi Lunatici; aſylum, quò confugiant, Vid. Kirſher.
in Itinere Ex-
ſtat. I. dialog. I.
cap. 2. p. 127.
 facile poterunt invenire. Dicas, cum peregrinantibus in
 Luna, hanc tanquam humorum Dominam cerebro a-
 nimalium quo propiorem, eo magis infeſtam eſſe, neq;
 ea ſalva & integra tolerare in ſe ac fovere poſſe: Luna-
 ticum, per interpretem Patronum ſuum, reſpondere au-
 dies; hanc ſuæ naturæ temperiem eſſe, ut multum hu-
 moris requirat; haud aliter ac ex adverſo in regionibus
 calidiſſimis homines dicuntur habitare, qui ſemper e-
 munctæ ſint naris, ſicciffima nimirum corporis gau-
 dentes conſtitutione. Diſpliceat Tibi hoc eſflugium;
 latitantem tamen in illo novum illum hominem excute- Joh. I. 3.
 re non poteris, niſi ab eo, *per quem omnia facta ſunt,*
 & *ſine quo factum eſt nihil, quod factum eſt,* de veritate L. II. Phyſic. c.
2. L. I. Poli-
tic. c. 5. Cicer.
L. II. de natu-
 certius factus ſis certior. Audias, ex Ariſtotele quoque
 aliisqve gentilibus Philoſophis, omnia facta eſſe; pro-
 pter hominem, niſi tamen teneas diſcrimen inter ho-
 minem

ra Deor. Plin.
sub. init. I.

VII.

Conf. Dn.

Thomaf. Phys.
pag. 13.

Vid. etud.

ibid. pag. 219.
ex Coen. Mar-
tini Compend.
Theolog. p. 199

Ibid. pag. 202.

minem lapsum & integrum, cujus cognitio Christianis est propria; inter applicandum tam diversas res, homini hodiè sæpius adversas, aqua hærebit Tibi; omnia fluent spontè, si alias homini integro, alias lapso, imò easdem aliò modò illi, aliò huic, usum earum desideranti, aptaveris; cognoscens hinc simul, quâ bonitate ac providentia fecerit illa omnia Numen Indulgentissimum. Qvis animam sobolis humanæ ex animabus Parentum, sine læsione spiritualis naturæ, originem habere posse, intelliget facilius, tuebitur felicius, quàm Christianus Physicus, qui Deum Filium à Deo Patre ab æterno genitum esse, Deum Spiritum S. à Deo Patre Deoque Filio procedere, catholica fide credit, quodque mysterium est de Spiritu increato & infinito, per similitudinem intelligit, naturalem in modum, de his spiritibus creatis & finitis, animabus nostris? Qvis immateriales & immortales easdem esse certius apprehendet, quàm Physicus Christianus, si corpus quidem hominis ex gleba terræ conditum, animam verò à Deo ipso inspiratam esse, observarit? Qvis animam humanam, totam, vulgari loquendi modò, in toto corpore, totamque in qualibet corporis parte esse, sibi melius persuadebit, quàm Physicus Christianus, qui Deum hinc & ubique, in toto mundo, præsentem esse novit, & in μικρόσµω Spiritum creatum & finitum, quod in μακροσµω infinitus & increatus præstat Spiritus, suò modò imitari posse, agnoscit? Commodè verò mentionem injecimus Dei, quo cum ex Physica in Metaphysicam opportunè quoque transire, nonnullaque hujus privilegia, siquidè inter Christianæ Philosophiæ partes esse velit, clarissimè deducere poterimus. Enimverò hæc scientia, Jano bifronti non dissimilis, duas accipit facies, ex quo Scholæ Doctores, Aristotele non satis intel-

intellecto, alios ei colores induxerunt. Apud Philosophum, memor hæc dignitatis suæ de rebus agit honoratissimis, materiam habens; ubiqve sui similem, unam, certam, immutabilem, æternam, quæ est Deus immortalis. Scholastici verò, & qui ex Nostriis illos sequuntur, Deum & res divinas aut excludunt Metaphysicâ prorsus, aut tam arctè custodiunt, ut paginas non adeo multas occupare possint; agere verò de Ente generalissimè, de affectionibus ejus, proprietatibus atqve partibus, tum & usitata loqvendi docendiq; vocabula interpretari, suum esse munus arbitrantur. Quod diffidium eò facilius disimulari potest hodiè, quo largiùs omne illud damnum, quod hòc modò Theologiæ naturali videbatur inferri, compensatum est ab illis, qui de Spiritibus Deoqve inprimis, novam, quam Pnevmaticam vocamus, disciplinam tradiderunt. Notitia verò de Deo, quæ ex lumine Naturæ resplendet; similiter, quæ de Intelligentiis aut Angelis ex eodem fonte hauritur, cujuscunqve tandem nominis sit illa disciplina, in qua proponuntur; tantum profectò lucis, tantum incrementi è sacris literis nostra methodo accipiunt, quantum vix eloqui possumus. Quis miretur? Postquam enim ex ore ipsius Dei percepimus, cujus sit naturæ & perfectionis, tum lingvas creaturarum, quibus singulæ & universæ loqvuntur eum, laudant & colunt, tum applausum animi nostri, quò sibi quoqve notum esse Creatorem suum fateretur, rectè demum intelligimus. Clarior res est, quam ut exemplis debeat illustrari; certior est, quam ut possit impugnari. Dixeram de Angelis; *nos, postquam*

audiissemus ex Theologia revelata, eos non esse effluvia, sed

creaturas Dei, longe rectiùs tutiusque de iis quam gentiles, aut illos, qui hoc Christianæ Philosophiæ subsidium non

agno-

In Specim.

Vindicar. p. 27.

suprà, p. 54.

Vid. disputatio-
nes nostras de
simplicitate,
immutabilitate,
scientia Dei,
de attributorū
Divinorum
harmonia,

&c.

Plaut. in Mi-
lite Glor. Act.
I. sc. 1.

In Spicilegio
Coi. trov. p. 66
suprà, p. 93.

Cicero, Episto-
lar. VII. ad
Marium, 1.

agnoscunt, philosophari posse; cujus exempli claritatem & veritatem ne verbò quidem video in dubium vocari: Quid fieret, si ea, quæ de variis attributis divinis sola novit, Theologia naturalis Christiana, in medium afferrem? De his nimirum ex vero, quod miles gloriofus frustra promittit clypeo suo, dici posset:

Splendor eorum est clarior,

Quam Solis radii esse olim, cum sudum est, solent:

Ut ubi usus veniat, contra conferta manu

Oculorum præstringat aciem in acie hostibus.

Displicet tamen Titulus, quem huic doctrinæ jure meritoque tribui. Inanis conatus; si corticem arrodas, nucleam non attingas. Et quæso, quænam est illa elegans contradictio, quæ Christianam Theologiam naturalem enixus fui? Nihil in hoc foetu monstrosi; nihil in ejus partu difficultatis; nihil, quod adversa fronte usquam concurrat. Notitia enim de Deo, quam Christiani Philosophi habent, vocanda est naturalis, si ad theses ejus, quas ex Lumine Naturæ desumit, respicias; eandem tamen Christianam, si ad hypotheses illarum thesium, soli Christiano ex lumine gratiæ notas oculum direxeris, dicere quid vetabit? Sed, quod *Tui non est stomachi*, dixi. Hinc nausea. Dicenda nihilominus sunt plura, de usu in primis Theologicarum hujusmodi hypothesium in Metaphysica, etiam quando de Deo non agit. Discrimen inter essentiam & subsistentiam singularium substantiarum eruere, hujus disciplinæ est proprium; illud vero in creaturis reale esse, late retentam, nisi de mysterio Incarnationis ex Theologo audiisset. Postquam autem constat, Filium Dei naturam humanam in suam hypostasim assumpsisse, ita ut propriam in eo, subsistentiam assumpta humana natura
non

non habeat; Metaphyſica non neſcit concludere à ſeparatione ad diſtinctionem realem; conſequentia Rationi notiſſimã. quippe cujus certitudinem experientia, teſtis omni exceptione major, quotidiè comprobet, nullum ex adverſo exemplum debilitet aut infringat. Ejuſdem diſciplinæ eſt, docere, quænam compositio tollat ſimplicitatem, ut hoc attributum Entis non minùs ac reliqua, quæ diſjuncta dicimus, ex oppoſitis membris conſtet. Alia verò cum ex aliis, alia cum alio componantur, hanc poſterioris generis conjunctionem ſimplicitati rerum unitarum non obſtare, neſciremus, niſi naturam divinam ſummæ ſimplicitatis, in Filio Dei cum natura humana in unum *ὁμοῦς* unione perſonali coaluiſſe, à Theologo doceremur. Simile, quod in anima humana, composita in nobis cum corpore invenimus, eſt diſſimile. Illa enim, tametſi privilegio Spirituum gaudeat, omnibusq; quæ corpori propriæ ſunt, compositioibus eximatur; eò ipſò tamen, quò cum corpore noſtro unitur, modò fatetur ſibi in eſſe compositioem ex ſubjecto & accidentibus, inter quæ eſt potentia paſſiva, quæ inter uniendum in actum deducitur. Principii naturam declarare, Metaphyſica ſuarum putat eſſe partium. Illud autem, tametſi eò, cujuſ eſt principium, nec tempore nec natura ſit prius, eſſe poſſe, lateret nos, niſi æternum Patrem æterni Filii, & utrumque hunc æterni Spiritus S. principium eſſe, Theologo docente percepifſemus. De principio verò dum ago, facilè finem ab eo patior imponi exemplis è Metaphyſica petendis, quæ per abundantiam ſuam excrescerent aliàs in infinitum. Enimverò hæc ſcientia, quò propior eſt Theologiæ, eò majorem quoque hujusmodi hypotheſium apparatus accipit & adhibet; nullá tamen in reliquas

T

disci-

disciplinas invidia, quas eadem felicitate, ne Prædicis quidem exclusis, abundè frui, lætissimò vultu conspicatur. Inter omnia, quæ de virtute præcipiuntur, nihil est illustrius, nihil utilius monitis; quæ de moderandis affectibus suggeruntur; quorum nimiram temperies est Virtus ipsa. Ratio verò, si sibi relinquatur, quam ablanditur huic imperio suo! nihil aliud se audire putans, quam quod olim Juno ex Æolo:

Virgil. Æ-
neid. 1.

— — — Tuus, O Regina, quod optes,

Explorare labor; mihi iussa capeßere fas est;

haud aliter, ac si commotiones illæ animi vehementissimæ solam obsequii gloriam sibi relictam esse, post lapsum agnoscerent, aut ipsa Ratio nunquam insaniret. Utrobique verò hinc errari cum unusquisque, qui Sufferens non sit, in seipso deprehendit, tum à S. Scriptura clarissimè docetur graviterque inculcatur. Peripatetici quidem, gentilis sapientiæ Magistri, fortiter oppugnant Stoicos, qui errantes hunc errorem, censebant affectus extirpari posse penitus, si bonorum malorumque opinio falsa tollatur. Sed præliis, non bello ipsos victos fuisse, variæ testantur velitationes, quæ cum reliqui seorum in hunc usque diem sunt iterandæ. Mireris, ipsos istarum duces ex Christianis esse, nisi dum Christianam Philosophiam negligunt, ipsi lætari se gentilium societate fateantur. Ex his Novator Novissimus Cartesius:

In part. 1. de
passion. in tit.
& in fine Art.
116, 10.

Nulla tam imbecillus est anima, quæ non possit, cum bene dirigitur, acquirere potestatem absolutam in suas passiones.
Et: *Hac scire refert, ut quisque contendat regere suos affectus. Nam cum haud ita magna industria mutari possint motus cerebrum in animalibus ratione destitutis, evidens est, id melius in hominibus posse fieri, & eos ipsos, qui imbecilliores animas habent, posse acquirere imperium absolutissimum*

in omnes suas Passiones, si sat industriæ adhiberetur ad eos instituendos & dirigendos. Pestilens error, illoque Stoicorum, cui est simillimus, nequaquam minor. Stoici quidem furiosi; qui rebus à natura insitis castrare hominem quodammodo volebant. Quod tale erat, quale si voluissent aut metum detrabere cervis, aut venenum anguibus aut iram feris, aut placiditatem pecudibus. Hanc stoliditatem sapientia sua indignam ratus Cartesius, affectus quidem non eradicari, absolutissimo tamen imperio dirigi posse statuit; eodem, si effectum respicias, sensu, similibus, si Christianam Philosophiam consulas, errore. Hæc enim, de imbecillitate virium humanarum à Theologo admonita, tantam affectuum nostrorum impudentiam, tantam potentiam esse novit, ut & absolutissimum Rationis imperium agnoscere nolint, & funditus extirpari non possint. Hinc alia via rem aggreditur, & cum hominis naturam commutari à se aut consummari non posse, videat, contenta est, si docendo, suadendo, inculcando virtutem, non planè nullas faciat progressiones; jaestantiam autem & opinionem perfecti ac beati statûs, à qua lapsus in Pelagianorum & Pontificiorum *Φιλαυσίαν*, homini regenerando summè noxiam, est facillimus, aperte detestatur. Quemadmodum etiam in magnanimitate aliisque, quæ excelsos animos alliciunt, virtutibus nihil, quod cum humilitate Christiana pugnet, admittit; quæ in re ipse Aristoteles sibi non minùs in docendo, quam illis in agendo indulgit nimis. Quid enim dissimulemus? Amicus Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas, imprimis divina, in nostra Philosophia. Hanc etiam in consiliis super Egregio publico dandis, hanc in legibus de officio civium ferendis cupidissime audimus, studiosissime imitatur. Mittant Romani, de latore legum discrepantes, Athenas, qui

Laëtant. L. de
xero culcu
cap. 15.

L. IV. Nicom.
cap. 8.

Livius L. III.

inclitas leges Solonis describant, & aliarum Græciæ civitatum instituta, mores, juraque noscant; decem, his reverfis, tabulas, gentilium decalogum, ingenti hominum expectatione concioni proponant, magnamq; prudentiæ laudem cunctando percontandoque mereantur: Nos longè rectius, quid Deo disponente aut permittente, juberi à nobis aut vetari possit, investigabimus, rectissimeq; omnium ex ejus verbo cognoscemus. Maxime, quidem de lege morali, quam Sapientissimum Numen partim ex Jure Naturali repetit, partim denuò tulit, hoc intellectum velim; verissimum tamen est, quod à Magno Grotio fuit observatum, licere nunc his, qui imperium inter Christianos obtinent, leges ferre ejus sensus, cuius sunt leges per Moysen datæ, nisi si quæ sint leges, quarum tota substantia ad tempus Christi expectati & Evangelii nondum revelati pertineat, aut nisi Christus ipse contrarium aut in genere, aut in specie (non ferendo legem, sed auferendo latæ legis dispensationem; non formando nova præcepta, sed informando in veteribus,) constituerit. Nam his tribus causis demptis nulla potest alia excozitari, cur quod olim Moysis lege fuit constitutum, nunc sit extra ea, quæ licent. Quæ vero nisi hac nostra via in horum omnium notitiam perveniemus? A quo, nisi à Deo, immobile hoc fundamentum sanctionum nostrarum mutuabimur? Dudum est, quod Paulus Politicam Christianam paucis verbis tradidisse dictus fuit; quid integras Pandectas divinas ejusdem semina, si non ubique specimina, continere dubitabimus? Hanc igitur, Nobilissimi Juvenes, in spem Boni Publici nati atque instituti, ne negligite, certiusque quam Romani, suis id legibus apprecati olim, nihil hinc nisi quod bonum faustum felixque Respublicæ, civibus liberisque eorum erit, Vobis promittite, Cicero Christianorum, Lactantius, fate-

L. I. de J. B &
P. cap. 1. §. 17.

AMelanchthone. cap. XIII.
ad Rom.

Livius ibid.

L. de vera sapient. cap. 2.

faturus se mirari, quòd cum Pythagoras, postea Plato, amore veritatis indagande accensi, ad Aegyptios, & Magos, & Persas usque penetrassent, ut eorum gentium ritus & sacra cognoscerent, (suscipiebantur enim, sapientiam in religione versari,) ad Judæos tamen non accesserint; penes quos tunc solas erat; & quò facilius ire potuissent. Ego verò non minori afficior admiratione, quando video inter Christianos, qui foris quidem gentiles super scientiis humanis consulunt, Deum autem, omnis sapientiæ fontem, domi adire, oracula ejus audire negligunt. Quales hi, postquam jam ipsi sunt seducti, Duces, esse poterunt?

-- -- -- -- us si
Cæcus iter monstrare velit.

Seqvi hos, periculosum; fugere, salutare quidem sed difficile, nisi exactissimè illos pernoscat. En igitur faciem eorum vivis coloribus depictam, sed geminam, cum solius veritatis sit, unam semper indivisam apparere. Omnes quidem ex odio in Christianam Philosophiam torvum vident; aliò tamen hi, aliò illi affectu ducuntur. Sunt, qui servitute delectantur; sunt, qui licentiæ student: utriusque verò diversis his viis incidentes ad eundem scopum tendunt. Idem omnium desiderium & votum: Ruina Philosophiæ Christianæ. Oprant hanc nonnulli ex amore in Aristotem, metuentes dominio gentilis Philosophi regnante Philosophia Christiana; secta, servilis oppidogenii & ad ingenuam libertatem profus rudis. Hanc vero dum alii nimis affectant, locò ejus licentiam arripiunt,

Nullius addicti jurare in verba Magistri,
 ne quidem in hypotheses à Deo ipso revelatas; quas cum à Philosophia Christiana maximè amari & æstima-

Horat. Epist.
 lar. I. 17.

Idem Epist.
 lar. I. 1.

ri videant, hanc una cum ipsis audeat rejiciunt. Magna utrinque perversitas: *Illi enim malunt cum Aristotele errare, quam ex Deo verum audire; his propria somnia magis quam divina oracula placent. Medium inter illorum servitutem & horum licentiam tenent beati. His accedite, his adhærete & Vos, Charissimi; jacturam, si quam facitis aut Aristotelicæ doctrinæ aut licentiæ, largissimè compensabit Veritas, cujus notionem Deus suum munus fecit; quo neque majus homo accipere neque dignius dare homini Deus potest.*

II.

DE DOCTRINA
JURIS NATURALIS,
PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ
PARTE.
Plato in Symposio.

A matre ad filiam, quod est, à Philosophia Christiana ad doctrinam Juris Naturalis Christianam, jam accedimus; haud incommoda transiitione; præsertim cum eundem experiantur hostem, mutuaque, juxta proverbium, defensio sit tutissima. *Hanc verò cum pro natis animalia imbecillia in se adversus robustissima suscipiant; cur ipsa sapientia prolem suam, cum validissimè possit, promptissimè tueri nolit? Eadem sunt arma, quibus mater impugnatur cum filia; ambæ idem sustinent prælium & periculum; cur victrix illa hanc vincipatiatur? Utrique nimirum invidentur subsidia, quæ à Theologia revelata offeruntur. Hinc, cum neutra illis carere velit nec possit, cum dissentiente fortiter est pugnandum. Urget hic; doctrinam Juris Naturalis æquæ ac totam Philosophiam in se puram & illibatam esse, neque infici à Doctoribus suis posse aut à Theologia perfici debere. Agnoscunt illæ hanc puritatem in essentia, non in existentia disciplinarum; haud aliter ac elementa Physici, qualia concipiunt, simplicia prorsus & defæcata, in tota rerum universitate non inveniunt. Instat hostis: *Hanc distinctiunculam haud quidquam efficere, ut Jus naturale orthodoxæ fidei adversum evadat, ob admixtos à Doctoribus**

Foribus

In ſpicilio
controverſ. p.
57. *Supra*, p.
82.

Foribus errores. Sicuti verbum Dei ob falſas quorundam interpretationes non idèò quoad existentiam corruptum dici poteſt. Promptè regerunt illæ: aliam Verbi divini, etiam diſciplinæ Philoſophicarum eſſe rationem. Illud unicè Deum, hæ proximè hominem Autorem agnoſcunt. Quanta verò hæ diverſitas! Ab eo, qui ipſa veritas eſt, quid niſi veritas expectetur? De hominibus cum errare ſit humanum, quis idem auſit polliceri? Ex hac cauſa Verbum Dei, ori nimirum puriſſimo, quò profertur, conforme, nunquam non exiſtit limpidiſſimum; Philoſophia ſordes ab hominibus, haud aliter ac rivus ex impura ſcaturigine, trahit. Interpretes Scripturam, hoc eſt, homines divinæ veritatis Oceanum, in littore oberrantes, turbare nequeunt; Philoſophi rivus ſapientia humanæ, quos ex ſeipſis deducunt, facile commaculare poſſunt: Eoque magis utile eſt ac neceſſarium, ne guttulam quidem, quæ eſt ſacra ſcriptura in diſciplinæ Philoſophicæ poſſit derivari, inſuper habere aut reſpuere; contra quam hoſtes Philoſophiæ Chriſtianæ faciendum eſſe cenſent. Commodum noſtrum erit orthodoxia; heterodoxia, illorum incommodum. Sed ne titulos quidem; hos illi ferre poſſunt in Philoſophia; tantum abeſt, ut his diverſis modis eam ſe habere poſſe agnoſcant. Nam Theologia, inquirunt, revelata vel eadem principia tradit, quæ ratio invenit vel aliqua hiſce ſuperaddit. Ubi prius ſit, ſanè & qui conjunctim illis principiis benè vivitur, rectè philoſophari ſimpliciter dicitur, non orthodoxè: & qui ſolam rationem ſecutus, ſ. Scripturæ ignarus, ſi ex veris principiis benè ratiocinetur, itidem rectè philoſophari dicitur, non orthodoxè nec heterodoxè. Sicuti v. g. Cicero, qui de Officiis abſque Theologia revelata tradit, haud quidquam heterodoxè, aut hæreticè philoſophari dicitur,

In ſpicilio
controverſ. p.
60. *Supra*, p.
87.

citur, etiam ubi à vero aberrat. Contrà, qui Philosophiæ aliquid ex Theologia revelata admiscet, is non orthodoxè philosophatur, sed intempestivè theologizatur. En, disjunctivum, ut cum Gellio loquamur, proloquium, quod

L. V. 22p. II.

Horat. Epod.
L. Od. 6.

Parata tollit cornua,

scilicet, ut utrinque capiat nos fugamque omnino intercludat. Sed nescio quò casu alterum cornu, postquam vix ostensum est, statim evanescat. Audio argui: *Theologia revelata vel eadem principia tradit, quæ ratio invenit, vel aliqua hisce superaddit.* Video etiam Prius declarari; sed & Posterius negligi. O egregiam occasionem, quæ feliciter elabi, quid? persistere ac vincere possumus. Salva enim Philosophia Christiana; salva filia ejus, disciplina Juris Naturalis, est, nisi probatum fuerit, Theologiam revelatam nihil iis, quæ ratio invenit, superaddere; quod ne improbatum quidem hîc legimus. Ille quidem, *qui Philosophiæ aliquid ex Theologia revelata admiscet, non orthodoxè philosophari sed intempestivè theologizari, dissentienti dicitur.* At vero quid hoc ad Theologiam? quæ cautè hypotheses Theologicas superaddit hypothesebus Philosophicis; theses suas thesibus alienis non admiscet; haud aliter ac exquisita cœnarum ingenia cibos superaddi cibus, non admisceri patiuntur. Tanta Theologiæ est prudentia, tanta benignitas in Philosophiam Christianam; quæ per usum illius orthodoxa, per abusum heterodoxa evadit. Tituli hi sunt domestici, nulli gentilium temere imponendi. Principaliter decent Theologos in divinis doctrinis, qui, si recte doceant, orthodoxi, si perverse, heterodoxi salutantur. Post hos Philosophis tribuuntur Christianis; apte quidem & juste, quia idem faciunt, quod il-

li,

li, urentes S. Scriptura vel abutentes, eoqve qui idem audiunt, quod illi, haud indigni. Tam bene

Nomina conveniunt rebus utrinque suis.

Hæc verò quid ad Ciceronem & reliquos Philosophos gentiles? Senserint rectè in multis; quæ virtus etiam in hoste laudanda est; sit insuper aliquis inter oracula Spiritus S. eorumque effata concentus; fundamentum tamen, quò unice titulus orthodoxiæ nititur, apud illos deest; ultima nimirum analysis in auctoritatem divinam, ut ita scribant aut sentiant, quia Deus ipse, *ὁ θεὸς ἔφα*, dixit. Sacras enim literas aut non legerunt, ut consensus ille plane sit fortuitus; aut lectas inter profana scripta numerarunt, ut Deum secum loqui, non magis quàm Amphitruo in fabula, putarint. Ex hac causa errores, quos recedendo à testimonio divino commiserunt, mitiori quàm heterodoxiæ vocabulo notandi sunt; quemadmodum etiam in hoc Christianis, qui scientes volentes in Philosophia non audiunt Deum, levius peccarunt. Crederem, hòc intuitu Paulum in allegando Arati versiculo *mirum illud οὐρανὸν θεοῦ* exemplum, quod

AR. XVII. 18

doctissimus Christianorum admiratur Aristarchus, non minori æquitate quàm prudentia dedisse. *Cum enim Jovis meminerit Aratus, neque ἐκ θεῶν sed ἐκ διῶν ἀεχόμενα* dixerit, (quo nomine *τὸν δημιουργόν*, creatorem, teste ipso Arati interprete, designat,) neque rejicit hoc nomen Apostolus, neq; Jovem, cum veteribus Ecclesiæ Patribus, hominem, & vitiosum quidem atque adulterum, ex ipsorum sententia, fuisse docet: quemadmodum nec, utrum fabulosus an naturalis intelligatur, cum interpretibus quærit. *Contrà autem, de Deo id accipit. Longè aliter cum Christianis Philosophis, si plus quàm Poetica eorum fragmenta recitanda essent, acturum esse Apostolum, quis dubitet?*

Heins. in h. l.
Exercitat.
Fabr. pag. m.
309.

U

Horum

Horum enim major, quam gentilium, est culpa, cum male sentiant, ubi optime possunt. Principium nimirum $\xi\upsilon\ \epsilon\upsilon\alpha\iota$, ut recte beneque sapiant, cum in sacris literis inventant domi, applicare negligunt, & doctrinas humanas divino hoc beneficio frui non permittunt. Sufficit, si obtineant, disciplinas Philosophicas & in his *Jus Naturale* (de quo speciatim inter nos quæritur,) quoad esse suum *Theologiæ non subordinari. Duplicem vero scientiarum subordinationem secundum esse & bene esse, fugere ego dicor, ne plane obautescam, quando hypothesein ex verbo revelato assumo, & principis domesticis principium hoc æternum ex superfluo, cœdissentienti videatur, jungo.* Sed certior est assertio mea, quam ut sine rationibus, sola negatione, possit rejici; major hujus principii & subordinationis est usus, quam ut debeat negligi. Jus quidem Naturæ, quod utramque hic paginam facit, congenitum est omnibus hominibus, etiam illis, qui hoc æternò principio $\pi\omicron\delta\ \tau\omicron\ \xi\upsilon\ \epsilon\upsilon\alpha\iota$ uti non possunt. Notitia tamen hujus Juris per hoc principium mirifice juvatur. Dicitur quidem *hac distinctio ad rem nihil facere. Nam qui intelligit, quid lex sit, in homine præter notitiam legis nihil investigabit.* Sed qui limites inter principia congenita eorumque habitum noverit; qui illa non extingvi, hunc obliterari posse observaverit, facile, quid hoc discrimen in recessu habeat, deprehendet. Principia illa meri $\omicron\ \alpha\iota\ \rho\epsilon\mu\iota\tau\alpha\ \alpha\lambda\eta\theta\epsilon\iota\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \pi\alpha\sigma\iota$, *semina veritatis apud omnes, vocantur. Propterea nulla anima sine crimine, quia nulla sine boni semine.* Sed semina opus habent cultura, præsertim si terræ commissa sint minus sæcundæ; qualem nos, eheu! post lapsum non minus in nobis ipsis referimus quam in toto orbe passim inhabitamus. Largior quidem, hæc ex illis seminibus esse, quæ sponte sua

In spicilegio
controvers.
pag. 6r.
Supra, p. 93.

Ibid. pag. 6r.
Supra, p. 86.

Justinus Mar-
tyr. in Apolog.
II.

Tertullianus
de Anima.
cap. 4r.

suâ ubiqve progerminant, primumqve florem emittunt, fructum etiam non planè nullum ferunt; nam in gentilibus quoqve, ne plebe quidem exclusa, notitia hujus Juris fuit; sed si purissimò Paradisi rore irrigentur semina illa, longè succrescunt altiùs frugibusqve abundant dulcissimis; ad quod commodum nos in deducendo Jure Naturæ è statu Integritatis unicè respicimus. Nisi verò in causa hujus perfectionis, quod videtur dissentienti, fortè aberramus. *Nam notitia perfectior & imperfectior haud quidquam exindè provenit, quod quis orthodoxus aut heterodoxus, planeve infidelis sit, quippe cum, quæ S. Scriptura de imagine Dei tradit, ad Jus Naturale non spectent. Et quæ Albertus in Jure Naturali novit, ea non orthodoxie suæ, sed lectioni Grotii debet. Undè & falso Christianorum propria dicitur cognitio distincta ejus Juris. Nam distincta cognitio cujusvis disciplinæ à studio & meditatione provenit; quæ per se æquè in infidelem, quàm in Christianum cadit. Quod autem ea cognitio jam maximè inter Christianos floret, est, quia pleræque bonæ literæ à Christianis excoluntur. Funiculus triplèx, sed qui facillè rumpitur. Ea enim quæ S. Scriptura de imagine Dei (aut quod perinde nobis hòc locò est, de statu Integritatis) tradit, ad Jus Naturæ non spectare, dicitur quidem, sed non probatur. Aliud autem cum pridem nos demonstraverimus, & denuò mox offensuri simus, notitiam perfectiorem ab orthodoxia illius Articuli multùm pendere, obscurum aut incertum esse nequit. Grotio vero quantum ego minimus eorum, qui per eum profecerunt, debeam, ingenuò fateor animò; hominem tamen, tametsi nomine meritoqve suò magnum, Deo Ter Maximo subicere ac postponere non erubesco. Studio etiam & meditationi pondus su-*

In spicilegio
controverf.

pag. 60.

supra, p. 86.

um relinquo, deqve viribus ejusin excolendis bonis literis Orbi Christiano jure meritoqve gratulor; sed cum illæ actiones nostræ, quibus perfectiorem notitiam acquirimus, principia cognoscendi non excludant sed præsupponant, religio mihi est, principium illud efficacissimum planeqve divinum, Sacras nimirum literas, eripere Christianis Philosophis aut invidere. Hujus enim beneficiò superiorem certitudinis gradum, cum ex lumine Naturæ sibi relicto inferior tantum proveniat, audeo nobis polliceri. *Atqui summus, quem naturale lumen pollicetur, certitudinis gradus est demonstratio; quæ obtenta nemo ulterius inquirere laborat. Lumen gratiæ aliam certitudinem suppeditat, non circa res demonstrationi Logicæ subjectas, quæ sciuntur, non creduntur, sed rationi humanæ absconditas, & ad salutem animarum facientes; quæ certitudo fide constat, veritati & promissis divinis innixa. Igitur, si Deus placet, eadem fide, quæ credimus Salvatorem nostrum pro peccatis mundi satisfecisse; deinceps credemus, pacta esse servanda, gratum animum benefactoribus adprobandum.* Mirum verò, quod à Christiano Juris Naturalis Doctore lumini gratiæ denegatur suum, ut lumini Naturæ nimium tribui possit. Nihil dicam de demonstrationibus, quæ ad hanc disciplinam extenduntur, ambitu Philosophiæ Theoreticæ alias inclusæ; id tamen dissimulandum non est, quod in harum gratiam, jus divinas suggerendi hypotheses Sacræ Scripturæ non relinquitur, quibus tamen illæ, si darentur, tanquam fundamento firmissimo tuto niti possent. Enimverò Physicus Christianus fontes & flumina spe specique certitudinis longè majori derivat ex mari, postquam de hac origine Spiritum S. testari audit: Quid nos, doctrinam Juris Naturalis apud Christianos decenter

Ibid. p. 67.

Supra, p. 89.

centerproponentes, impediatur, quo minus idem faciamus? Memores autem præcepti nostri, nulli suum eripimus, sed Theologiæ revelatæ theses suas, quas *de merito Salvatoris & aliis rebus rationi humane absconditis & ad salutem nostram faciendis* domi tradit & servat, relinquimus, contenti, quod hypotheses ex ejus benignitate accipiamus firmissimas, quibus nostras theses, juxta modum & modulum quavisque humanæ notitiæ, superstruere valeamus. Sic sua Theologiæ, sua Philosophiæ certitudo, in diverso gradu & modo, constabit, inque neutram nos excedendo vel deficiendo injurii erimus.

Virtus est medium vitiorum & utrinque reavertum.

Horatius Epistolar. I. 28.

Hanc & Vos, Nobilissimi Juvenes, non minus in doctrinâ quam in vita, quod facitis, observate, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut medium inter extrema, quod est, virtutem ipsam constanter teneatis. *Cogitare optima simul & deterrima non magis est unius animi, quam ejusdem hominis bonum esse ac malum.*

Quintilianus
L. XII. cap. 10.

III.

Postquam autem inter disciplinas Christianæ Philosophiæ doctrina Juris N. jure Civitatis donata est, Nos

DE JURIS NATURALIS
DUCTIONE &
STATU INTEGRITATIS.

-- -- -- -- *exinde per amplum*

Mittimur Elysiûm, & pauci lata arva tenemus.

Virgil. Æneid. VI.

In statum nimirum integritatis ex hodierno, in felicem ex misero, è turbulento in tranquillum reducimur, ut ibi quoque Jus Naturæ, æquè ac reliqua omnia, integrum atque purum inveniamus. Sed quæ in primo aditu tempestas excitatur? quò turbine, nisi cursum tenere sciamus, in diversum agimur? *Enimvero eam operam frustra sumi adparet, si consideretur, accuratiores*

U 3

Theo-

In spicilegio
controversi.
pag. 58. 59.
Supra, p. 86. 87.

Et jam antea
ibid. brevius
p. 51.
Supra, p. 73.

Theologos, non refragante ipso Alberto, tradere; imaginem Dei sensu Biblico sola spiritualia complecti; quo sensu eam penitus periisse. Igitur quæ in divinis literis super imagine Dei traduntur, ad Jus Naturale penitus non spectant, eoque per Theologiam orthodoxam, quatenus ea divinis literis inmittitur, & ex hisce deducitur, ad Jus Naturæ nihil proficitur. Et aliàs cultura Juris Naturalis ad reparationem imaginis divinæ in regenerationis & sanctificationem pertineret; quod nemini per somnium hætenus asserere in mentem venit.

CONCEDUNTUR tamen ab iisdem USU ECCLESIASTICO RUDERA ALIQUA DIVINÆ IMAGINIS. Id est, quia Theologus quispiam notionem imaginis divinæ præter sacram Scripturam finxit, quem alii complures citra accuratorem disquisitionem secuti sunt; igitur, ne, qui errorem istum deprehenderunt, cornicum oculos configere voluisse videantur, sensus Ecclesiasticus concedendus est, sensui Biblico contradistinctus, & rudera sunt agnoscenda, quæ nunquam ad ædificium destructum pertinuerunt. Sic quia Theologi quidam Antipodes dari negarunt, aut Solem die Paschatis saltare, cælosque vetustate corrugatos jam multis miliarium millibus humiliores asseruerunt; ideo ne isti quapiam in re impegisse videantur, concedendum est sensu Ecclesiastico homines in altero hemispherio in cælum prolabi, eodemque sensu Solem tripudiare, aut cælos ingentibus rugis obsitos esse. Equidem ut quis impropria locutione utatur, ego parum curaverim. Ast ut locutioni per Melancthonem introductæ sacrosanctæ quædam autoritas circumponatur, & eam explodentes heterodoxie convitio notentur, id sanè ferendum non est. Nec qui sapit Theologus, si quid extra Scripturam sacram proferat, præ cæteris philosophantibus autoritatem sibi arrogabit. Speciosa omnia; adeo ut fatear, nihil esse, quod ab adversa parte nobis opponi

poni possit fortius aut à nobis magis sit declinandum. In imagine nimirum Dei, accepta in sensu Ecclesiastico. Jus Naturæ à nobis quæritur, quæ tamen ipsa in sacris literis non invenitur. Quid de illo nobis promittamus? Imago verò Dei, sic considerata, pigmentum aut figmentum dicitur esse Melanchthonis, aliorumque Ecclesiæ Doctorum, in quorum gratiam suus adhuc hodie locus in Ecclesia illi relinqvatur. Quid hæc Autoris humani licentia, quid Fautorum aut adulatorum applausus valeat in Theologiam revelatâ, quæ unice ex S. Scriptura est haurienda? Conclamarum itaque est, nosque periiimus, nisi Deus ex machina. Sed, en præsentem eum promteque opitulantem nobis.

Bono animo! assum auxilio Tibi & tuis.

Nihil est, quod timeas.

Plaut. in Amphitruo. Act. V.
sc. 2.

Nimirum, quod de Jove fingebant gentiles, nobis revera præstat Deus. Condidit hic primum hominem in tanta perfectione, ut in naturalibus & moralibus non minus ac in spiritualibus nihil in eo potuerit desiderari: deque hoc expressè Sacra testatur Scriptura. Parcior est in nominibus exprimendis, quibus illa singula designentur. Enimverò cum eminuerint, quæ ad spirituales vitam pertinent, his titulum imaginis divinæ ipsa tribuit; reliquis, quæ ad naturalia aut moralia spectant, propria sua nomina reliquit, ut ab alio hujusmodi axioma diceretur homo integer, divinæ Majestatis speculum. Tandem verò & his titulus imaginis divinæ impositus fuit, & quidem non à Melanchthone primum, quæ dissentientis est conjectura, sed ab ipso Luthero, quid? ab Augustino alii que præcæ Ecclesiæ Antesignanis. Hinc distinctio inter imaginem Dei in sensu Biblico & Ecclesiastico

Genes. I. 27. 28.
Eccles. VII. 30

Vid. Compend.
Nostri part. 1.
cap. 2. §. 2. not.
6. 73. & §. 5.
not. 1. pag. 76.

In spicilegio
controverti.
pag. 59.
Supra, p. 86.
L. III. contra
Maximin. cap.
14.

Ecclesiast. VII.
30.

fiastico in cathedras investa. Bonum factum; quod citra culpam suam inter errores & nescio quas ineptias in dignissime numeratur. Nihil enim falsi finxerunt, nihil veri negarunt novi hujus tituli Autores; imo ne titulum quidem novum adhibuerunt, sed à Deo ipso inventum rebus non dissimilibus, suo usi jure, imposuerunt. Esto verò: erraverint per hanc *evocationem*; damnetur hic titulus, mihiqve ulus ejus interdicatur. Quid tum? Integra nihilominus homini manebunt integro donamoralia, è quibus Jus Naturæ à me deducitur. Rem si servavero, exiguam nominis rationem habebō. Tantum abst, *ut locutioni per Melanchthonem* (aut per quemcunque alium,) *introducenda sacrosancta quedam autoritas circumponatur & eam explodentes heterodoxie convitio notentur.* Fiat per me, quod in lite de vocabulo *quoniam*, Ecclesiæ quoq; non ipsius Scripturæ foetu, haud iniquū putat Augustinus: *Nunc nec ego, inquit ad Arrianum Maxim. Nicenum, nec Tu debes. Ariminense tanquam predicaturus referre Concilium: Nec ego hujus autoritate, nec Tu illius detineris: Scripturam autoritatibus, non quorumque propriis sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet. Utriq; legimus, ut simus in vero Filio ejus, Jesu Christo. Ipse est verus Deus & vita eterna. Utrique tanti ponderis molibus cedamus.* Enimverò & Nos utriqve legimus, quod fecerit Deus hominem rectum. Hoc mihi sumo; hoc mihi depono; quod ad Jus Naturæ ex primæva illa rectitudine, sive pars imaginis divinæ dicatur, sive suo nomine appelletur, deducendum, omnino sufficit. Quamquam ingratiam unius, cui sordet ex affectu dictio haud inepta nec periculosa, Ecclesia & Scholæ à recepta loqvendi consuetudine non recedent. *Hoc est illud, inquit iterum in*

non

Ibid.

non diffimili casu Augustinus, *homouſion*, quod in Concilio Niceno aduersus hereticos Arrianos à Catholicis Patribus veritatis autoritate & autoritatis veritate firmatum est: quod postea in Concilio Arminensi, propter veritatem in verbis minus quàm oportuit intellectum, quam tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, heretica impietas sub heretico Imperatore Constantio labefactare tentavit. Sed post non longum tempus libertate fidei Catholice prevalentes, posteaquam vis verbi, sicut debuit, intellecta est, *Homouſion* illud Catholice fidei, veritate fidei longè lateque defensum est. Eandem fortunam imagini diuinæ in sensu Ecclesiastico acceptæ audeo prædicere; eandem causæ non diversæ videntur polliceri. Interim hæc nihil ad me; qui, ubi res ipsa mihi favet, non opus habeo in vocibus subsidium quærere. Enimverò status Integritatis, ad quem unice hîc respicio, brevi temporis spatio duravit, & postquam vix ortus esset, iterum desit.

Ἄλλοτε μνησθῆναι πάλῃ ἡμῶν, ἄλλοτε μήτηρ.

Ipsa dies quandoque Parens, quandoque noverca est; quem Hæliodi versum longo hominum ævo probatum fuisse, testatur Gellius. Ego verò, quò minus ad antiquissima tempora ipsamque Protoplastorum natalem diem applicetur, non repugno. Hæc enim quorundam Doctorum est conjectura; quæ sententiæ meæ nihil obest. Satis est ad hanc defendendam, si homo integer vel per unam tantum horam in plenissima possessione Juris Naturalis fuerit. Nihil enim inquirimus aliud, quàm primum illud tempus, longum an breve fuerit, perinde est, in quo Jus Naturæ originarie perfectissimeque fuerit, ut reliquias ejus in nobis residuas, debite cum illo conferre perficereque valeamus. Nec obstat, quod de Naturali

X

Jure

In spicilegio
controverf. p.

62.64.

Suprà, p. 88.91.

Cicero L. 4.
Offic.

*Jure in historia Status integri nulla mentio fiat, nec de actionibus Adami moralibus aliquid memoretur; satis est; negare posse neminem ex Christianis, tantam hominis integri fuisse perfectionem, ut in omnibus actionibus Jus Naturæ, quod exactissime noverat, rectissime fuisset observaturus. Fuit, ut cum Doctoribus Philosophiæ moralis loqui liceat, Jus Naturæ principium ejus dirigens habituale, ubi actuale, per brevitatem temporis, esse non potuit. Id verò quod habituale diximus, nullum est aliud, quàm quod monet ante actionem, quid deinde in hac exercenda sit observandum. Hunc in modum Vir fortis in altissima pace novit, quid in prælio faciendum sibi sit aut omittendum. *Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii magni (in omni virtute) est, præcipere cogitatione futura, & aliquando ante constituere, quid accidere possit in utramque partem: & quid agendum sit, cum quid evenerit: nec committere, ut aliquando dicendum sit: Non putaram.* Hodie verò cum tam fecundum in hujusmodi regulas illud sit principium, ubi corruptus est intellectus noster, à quo maximè pender: quid non præstabit, si è statu perfectissimo, in quo non potuit imperfectum esse, illud arcessamus eaque, qua par est, attentione contemplemur? Hoc autem tamen in dubium vocari non possit; quippe quod præcipue Christianorum factiones in eo consentiant, hominem integrum fuisse virtutibus ex amussim imbutum; cum tamen de hoc non nisi ex lumine revelato constet, non ideo statim id pro hypothese disciplinæ ex naturali lumine profluentis habebitur. Quid audio? Ratio, propter quam hypothesis esse hujusmodi disciplinæ potest, vertitur in impedimentum. Hoc enim proprium est Philosophiæ Christianæ, ut è sacris literis hypotheses thesium suarum petat; hoc S. Scripturæ*

ræ

In spicilegio
controv. p. 64.

Suprà, p. 82.91.

ræ cum aliis externis principiis est commune, ut quicquid in illius commodum è sinu suo depromere potest, illi ne deneget. Nisi verò in petendo imprudenter erramus, aut χρύσια χαλκίων, aurea æneis incautè permutamus. Nam si utique placet Theologiam moralem cum naturali jure confundere, cur non potiùs in normam ejus Juris placebant actiones saltem communes Salvatoris Nostri **JESU CHRISTI**? Absit, ut hunc ὑποχραµµὸν, quem nobis Servator Optimus reliquit, ego negligam aut rejiciam. Nam mihi quoque dictum puto illud Theologorum: *Omnis Christi actio* (communis, non personalis,) *est nostra institutio*. Sit exemplum exemplorum, qui sine exemplo fuit patiens, mansuetus, humilis, maximarumque virtutum exemplar absolutissimum. Principium autem, è quo Jus Naturæ deducere, esse non potuit, quippe quod in eo originariè illud non fuerit, nec ex eo reliquæ illius in nos sint derivatæ. Quò igitur nisi ad Protoplastos, quibus prærogativa ordinis hic est relinquenda, & antiquissimum tempus, in quo Scriptores omnes incunabula Juris Naturalis quærenda esse putant, nos convertissemus? Nulla verò sic confusio Theologiæ moralis cum Naturali Jure committitur; nec limites, quos inter has diversas doctrinàs ipse posui, solò dissentientis nutu evertuntur. Ostendi nimirum, hoc inter illas discriminis esse, quod Theologia moralis ipsas Theſes suas Verbo Dei debeat; disciplina verò Juris Naturalis hypotheses saltem nonnullas inde mutuatur. Quid clariùs? Pars nimirum utrobique imitatur totum suum; Theologia moralis Theologiam revelatam; disciplina Juris Naturalis Christiana Philosophiã Christianam; quid æquius? Similiter imòti perstant limites, quibus ego prin-

Ibid. pag. 62.
Supra, p. 80.
1. Petri II, 21.

In Specim.
Vindiciar. p. 26.
Supra, p. 54.

Ibid. p. 17.
Supra, p. 48.

stinxi; ostendens, illa non æqvè atq; hæc opus habere, ut
 altiùs & ex ipso Integritatis statu deducantur, cum abun-
 de sensuum testimonio declarentur; infantibus quidem
 testibus, qui totam sua parte majus esse, quotidiè inter
 edendum oculis manibusq; deprehendunt. Audite ve-
 rò, Studiosi Juvenes, qua methodo jubear ego declara-
 tionem principiorum etiam practicatorum à sensibus pe-
 tere; colaphos nimirum impingendo Viro forti, qui,
 neminem esse lædendum, par pari videlicet referens,
 sensibili modo docere possit. Egregium, scilicet, consili-
 um; ut virtutem addiscam committendo vitium, &
 lædendo, neminem esse lædendum, intelligam. Privata
 vindicta Vobis, Dilectissimi, in ipso Academiae aditu
 sub juramenti religione interdicitur; sed hæc imposte-
 rum, quod Deus prohibeat, inter adminicula doctrinae
 recipienda, illisq; imprimis, qui justitiae student, injustè
 permittenda erit.

In spicifegio
 controv. p. 62.
 Suprà, p. 89.

Plant. in Persa
 Act. V. sc. 2.

Quo hæc res est?

quærit Comicus, ubi etiam de colaphis loquitur. Rectiùs
 ego ab his ad statum tranquillissimum Vos, Charissi-
 mi, deduco, in quo cum summa fuerit concordia, nulla
 vis, nulla iniquitas; ad illum, quantum in vobis est, redu-
 cendum, neminem lædendum esse facile intelligitis. Sed
 quomodo in hoc illa præcepta Juris Naturalis, quæ nisi
 in statu corrupto locum non inveniunt, Vobis demon-
 strabo? Qua ratione de liberalitate in egenos, de cura
 pro pupillis, de hæreditatibus & similibus ex illo statu
 rectè instrui poteritis, in quo pauperes & mortuos non
 invenitis? Enimverò fateor ipse, non omnia Juris Na-
 turalis præcepta in hac nostra methodo ejusdem esse
 rationis & considerationis. Deo parendum esse, audit
 homo integer à Jure Naturæ sibi præcipi. Eandem le-
 gem,

In spicifegio
 controv. p. 68.
 Suprà, p. 97.

gem, ne litera quidem immutata, unusquisq; cordi suo inscriptam non tam legit quam intelligit. Actio enim, quæ mandatur, in utroque statu prorsus est eadem; cur itaque præceptum variaret? Talia verò cum non pauca sint & à nemine negentur esse; axioma tamen, quò Magistratui obedientia vindicatur, numero eorum excludi video. Num ægre hoc feram, qui contrariam sententiam hac tantum verosimiliorem pronunciaui, quod ad exempli probabilis fidem sufficit; nullibi hypothesin revelatam aut è cathedra Spiritus S. definitam esse dixi. Hic itaque pugnes licet, non repugnabo; multo minus de Civitate Paradisiaca, quomodo illa constituenda fuerit, quomodo dirigenda & conservanda, sollicitus ero. Illorum hæc sit opera, qui dissentientes hoc locò ferre nequeunt. Quamquam, si & ego hoc labore defungi vellem, applausum potius à cordatis lectoribus, quam *risum & lachrymas*, contra quam à dissentiente prædicitur, mihi pollicerer. Heraclitus & Democritus, profani Philosophi, domi, quod irrideant, aut cui illacryment, satis abunde habent. In Christiana verò Philosophia, tamen si hoc exemplum seponamus, alia propemodum innumera nobis suppetunt, quæ eandem olim in statu integritatis, quam hodiè exerunt, obligandi vim habuerunt. Hinc in illo formaliter extitisse, formaliter ex eo in corruptum transiisse, non invito Lingvæ Latinæ geniò, inter docendum à nobis dicuntur. Nimirum sunt & alia, quæ normaliter tantum ab eo dependent, clareque non minus quam verè sic discerni possunt. Hæc enim posterioris generis, nos quidem instar normæ dirigunt, hanc tamen, quam hodiè habent, formam in statu corrupto demum acceperunt. Clarissimum hoc est in iis, quæ cum in generali no-

Ibid. p. 69.
Supra pag. 97.

Compéd. part.
2. p. 208. 209.

Vid. Rivet
Tom. I. Oper.
exercit. 10. in
cap. I. Genes.
p. 41. seq.
In spicilegio
controverſi
pag. 69.
Supra. p. 98.

tione integro homini actu inhæserint, multiplicatis in statu corrupto objectis plures ex se regulas genuerunt. En! quam fœcundam fuerit commune illud: Superiori est parendum; è quo nata sunt specialia illa: Tyranno est parendum, Domino est parendum, &c. obligantia hodiè vi Juris Naturalis, sed juxta normam statûs integri, usque ad agram scilicet, ne hominibus magis, quam Deo obediamus. Atque hoc est primum genus præceptorum, quæ è statu integritatis normaliter tantum petuntur. Alterum verò, complexum reliqua, quæ ex consideratione illius hauriuntur, & in aliqua ipsarum rerum analogia fundantur, haud obscurius de hoc officio suo normali ejusque dependentia à statu integritatis testatur. Quid clarius præceptis illis, quæ Jus Naturæ Tutoribus & pupillis, juxta ideam Parentum & liberorum in statu integritatis, analogicè præscribit; & audiri quidem, nisi post solutum peccati stipendium, non potuerunt, officia tamen statui corrupto propria officiis in statu integro non dissimilibus exactissime conformarunt? Tam apertò, tam firmo fundamento *canorum illud*, uti vocatur, *formaliter, normaliter, niti- tur!* tantum abest, *ut ex ratione, cheu! quam corrupta sit æsumtum.* Rectæ verò hæc, ut & reliquæ distinctiones meæ, quæ cum everti non possint, aculeis passim petuntur, omninò sunt adscribendæ. Plato, divinus inter gentiles Philosophus, facultatem rectè dividendi *donum Dei* vocat; & Socrates *se cum, qui singula convenienter distribueret, tanquam Dei vestigia, secutorum* pronunciat. Imò Aristoteles, minimæ inter omnes divisiones, distinctioni rationis, tantum tribuit, *ut, difficilem quidem eam esse dicat, sed qui id præstare possit, ut rerum vocabula semper accuratè discernat, cum propè esse putet, ut quid in unaquaque re verum sit, cognoscat.*

Quæ

In spicilegio
controvert.
pag. 51.
Supra, p. 72.

In Philebo.
Apud Platon.
in Phædro.

L. de sophist.
Elench. cap. 6.

Quæ verò distinctioni perperam adscribitur origo, ea confuſioni rectiſſimè tribuitur. Hæc enim corruptam rationem agnoſcit parentem, & poſt hanc, nonnullibi quoque Adverſarium meum. Quid, quæſito, niſi confuſio, eſt, quando hæc præcepta: *elemoſyna eſt danda, pupilli non ſunt defraudandi, defunctorum bona pro ratione graduum cognationis, ſunt dividenda & ſimilia*, actu in animo primi hominis, mihi ſcilicet contradicentis, hæſiſſe negat? cùm ego ea ad alterum ordinem axiomatum, quæ actu demum in nobis ex cognitione ſtatuiſſe integri dicuntur reſultare, clariffimis verbis retulerim. Inde vero *plus luminis congeniti actu exiſtere in homine corrupto, quam integro*, quis niſi qui non diſtingvit inter gradus cognitionis per ſe & ex accidente, inferat? Accidit enim nobis hodie, qui homine integro, aliàs in cognoscendo multùm inferiores ſumus, ut ex ipſa miſeria noſtra perducamur in notitiam multorum, quæ feliciffimum illum ſtatum prorfus latuerunt. Medicamentis uti & immedicabile vulnus enſe nonnunquam recidere novimus; quam felicitatem cùm homines ſani deprecantur, quomodo eam aptare, optare ſibi potuiſſet homo integer? Deos, inquit gentilium Philoſophorum Princeps, *feliciffimos ac beatiſſimos eſſe arbitramur. Actiones autem, quas eiſ tribuere nos oportet? Juſtasne? an ridiculi videbuntur, contrahentes inter ſe & depoſita reddentes, & cætera id genus? An fortes, ut reſ formidoloſas ſubeant ac perferant, & periculum adeant, quia honeſtum ſit? An liberales? cui verò donabunt? Abſurdum autem, ſi apud eos erit etiam nummus, aut aliquid tale. Jam verò utrum erunt temperantes? an inepta & contumelioſa laus illa Deorum futura eſt, vitioſis cupiditatibus eos carere? Quod ſi omnia, quæ in actionibus verſantur, perſequamur,*
exigua

In ſpicilegio
controveri.

pag. 68.

Supra, p. 97.

In Specim.

Viniciæ pag.

32.

Supra, p. 58.

In ſpicilegio
controv. p. 68.

ſupra, p. 97.

Nicomach. X. 3.

exigua sanè Disqve indigna reperientur. Quos verò inter homines, nisi qui fortiter & liberaliter se gerunt, qui temperanter & justè vivunt, jure meritoqve felices vocabimus? Idem integrum inter & corruptum hominem discriminis. Dicere posset ille de hoc secum collato, quod Zenon olim in proverbio: Ἐνεὶν ἰδίῳ χορῆς μεῖζον, ἢ μὲν δὲ συμφώνωτον; Illius chorus major est, meus autem magis sonorus. Imò illum, ut rectius sonet activius, oportet huic contonare; gratissima Deo bonisq; omnibus harmonia. Tantum abest, ut quando idealiter se imago Dei hinc habere dicitur, id sit sine mente sonum dare. Ex hoc concentu deduxeram ego obligationem benefaciendi in statu corrupto, in quo respicientes nos, unde exciderimus, dum observamus, hominem integrum per liberalissimam rerum suarum communicationem fuisse beneficentissimum; non possumus non sentire, nos hodie ad imitationem obligatas esse eo magis, quo durius est telum, quod proximum nostrum ferit, necessitas & indigentia. Sed aures dissentientis planè sunt obseratae. Nihil, inquit, de hac symphonia in sacris literis; nihil apud ullum alium Scriptorem. Quid tum? Sufficit mihi, quod in illis primus audiatur sonus; & ex eo Echo apud nos; dum cum homine integro homo lapsus apte confertur. Illud autem optimum est, in quo me invadit à dissentiente video; liberalitatem, cujus originem è statu integritatis deducere debeo, unius hominis abundantiam, alterius miseriam & egestatem presupponere; benignissimam vero communicationem, ex qua illa mihi videtur deducenda esse, locum habere non posse, ubi nullum augendi res studium, egestas nulla. Nam hujusmodi communicationem, quæ ab humana miseria pendeat, ego ipse à statu integritatis alienissimam esse censeo.) In hoc vero, si continuatus fuisset,

In spicilegio
cont. ov. p. 65.
Suprà, p. 23.
In specim. vindiciar. pag.
32. 33.
Suprà, p. 58.

In spicilegio
controverti.
pag. 70.
Suprà, p. 97.

In spicilegio
co. i. rov. p. 70.
Suprà, p. 98.

fuiſſet, multiplicato humano genere diviſiſque domi-
niis, unus dubio procul ab altero, cum ſinguli non poſ-
ſediſſent omnia, unum atq; alterum benignè accepiffet,
non in ſubſidium egeſtatis, ſed abundantiaè incremen-
tum; haud aliter ac hodiè

— -- -- -- *Tinolus odores,*

India mittit ebur, molles ſua thura Sabai;

Virgil. Geor-
gic. I.

quibus non miris licitè utimur, quàm facile carere poſ-
ſumus. Enimverò illas res, quæ ignotæ homini integro aut
nulli uſui fuiſſent, quales ſunt pleraq; , circa quas jam vita
noſtra maximam partem occupatur, in ſtatu corrupto poſ-
ſideamus proprias; ſuas tamen longèqve meliores ha-
buiſſent etiam homines integri, quas vel ad edendum
vel ad contemplandum aut in alios uſos reciprocos com-
municare potuiſſent. Nam & hic

In ſpicilio
controv. &
Supra, ibid.

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede, verum eſt.

Horat. Episto-
lar. I. 7.

Quem in modum etiam à Jcti & Politicis de hereditati-
bus, de actionibus tutorum & ſimilibus, rectè & perfectè ante
me traditum fuit, eà ſcilicet, quæ ex Jure civili aut com-
munibus Juris Naturalis axiomatibus utuntur, menſu-
ra; noſ tamen, quò minus aliam & magis ſpecialem ab
homine integro, primo illo Antecellore ac primario,
mutuemur, quid obſtet? cum ab ipſo Diſſentiente, poſt-
quam iidem Jcti & Politici jam dudum rectè ac perfe-
ctè hujusmodi doctrinas tradiderunt, novâ methodo
illæ omnes ſint tractatæ & in lucem emiſſæ. Quid ve-
rò in analogia inter actiones ſtātus corrupti & integri,
quæ tanquam menſura ego maximè utor, deſiderabitur,
ſi obſervetur, me non ſemper actionem cum actione,
quæ hic ſæpè ſunt diverſiſſimæ, ſed qualitates earun-
dem, quæ utrobique eadè debent eſſe, conferre? quæ

In ſpicilio
controv. &
Supra, ibid.

Ibid. pag. 77.
Supra, p. 99.

Y

Via

via non quidem bellum, statui corrupto proprium, justitiam tamen ejus, qua sub initium & in progressu ad mandatum Juris Naturalis opus habet; & finem, qui in pace ac concordia positus esse, debet; in statu integro perfectissime invenio, commodissimeque adimitandum corrupto propono. Longè alia ratio est Medicinæ, quæ bonum naturale recuperare studet; ad quod obtinendum nova omnino inventione opus habet; cum nos bonum, morale sola imitatione consequi valeamus. Hanc commendo Vobis, Studiosi Juvenes, opere, quanto fieri potest, maximò. Regia Vobis patet via, qua vestigia primi hominis, Parentis omnium & Doctoris, signatissima, feliciter premere possitis.

Ibid.

Hac iter Elysium nobis.

Virgil. *Æneid.*
VI.

Inter arbores Platonem docuisse nôstis. Academiæ loco illi titulus; cujus amore captum Ciceronem hoc nomen villæ cuidam suæ imposuisse inque eo libris conscribendis vacasse, accepimus. Quid in hortum amœnissimum, quid in Paradisum ipsum, quid in divinam Academiam Vos, qui Academici jam estis, mecum exspatiari & Naturale Jus inter alia Naturæ bona consummatissima quærere gravabimini?

Laurea Tullius
apud Plin.
Natur. Histor.
LXXXI. cap. 2.

Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,

Languida quæ infuso lumina rore levant;

quod ego certius de hoc Creatoris horto, quam Pœta de villa Ciceronis, assero; & Vos, si ducem me in inquirendo fonte Juris Naturalis secuti fueritis, verissimum deprehenderis.

V.

DE PRÆRO-
GATIVA SEN-
TENTIÆ MÆ.

Quem verò sic lateat prærogativa sententiæ meæ? de qua dicendum adhuc est, sed paucis, ut tantum absit à specie ambitionis hæc assertio mea, quantum abest à falsitate. Liceat autem mihi cum Agathone, de amore post alios

alios dicturo, compendium verborum facere, & in hoc
 quoque argumento haud dissimulare: *Videri mihi omnes,* Apud Platon.
qui hactenus locuti sunt, non ipsum Deum laudasse, sed be- in Convivio.
neficia, quæ feliciter ab illo conferuntur, hominibus narra-
visse. Inter hæc per me quoque numererur, quod homo In spicillegio
in statu corrupto adhuc sit animal rationale, & Mathemati- Controv. p. 51.
ci demonstrationes fallere nescias extruant. *Quid verò se-* supra, p. 72.
quitur inde, nisi quòd Jus Naturæ, suo tamen modo
tanquam pars Philosophiæ Practicæ, etiam ex ratione
corrupta quadantenus derivari possit? De divina ejus
origine, quam ego in statu integritatis plenè ostendo, Ibid. pag. 52.
hic apparet nihil. Hominem, animal sociale, informet Supra p. 75.
disciplina Juris Naturalis; hunc sibi proximum & peculia-
rem (in non paucis doctrinis) finem præfigat; de Deo
tamen, sine illò communi quidem sed præcipuo, quem
Nos in oculis, monente methodo nostra, ubique geri- Ibid.
mus, hinc parum constat. Neq; sufficit, si illum non exclu-
das aut abneges; primò locò ille, qui ultimus omnium a-
ctionum nostrarum finis esse debet, jure meritoque est
ponendus. Verum sit, non ob stare, quò minus Jus Naturæ Ibid.
quod exercendum esse adversus alios homines ad colendam
socialitatem dicitur, ad Autorem sui Deum nos manu ducat;
quid inde dignitatis, nisi hæc manu ductio aperte doceat-
ur, in doctrinam hujus Juris derivabitur? Requiritur in Ibid. p. 52, 71, 72.
foro interno quam maxime rectitudo motuum interiorum; supra, p. 73, 102.
quid accedet inde Juri Naturæ, si maximam partem cir-
ca exteriores actiones versari statuatur? Nec ditescet
Theologia, cui bonitas illa interior absque causa vñdic-
catur, quando tam grande spolium in disciplinam Juris
Naturalis committitur. Nam utrique licitum est de
eadem agere: Theologiæ, ut defectum illius agnosca-
mus & salutariter expiemus; Disciplinæ Juris Natu-
ralis,

ralis, ut actiones honestas, quæ ab illo semper exiguntur, jacto interius fundamento revera exerceamus. Exteriores enim, sapius in speciem optimas, fallere posse, quis ignorat? Nihil hic *ἀναίδειον*; nihil, quod dignitatem Juris Naturalis nostramque de eo sententiam non commendet ac extollat. Quod si itaque, ipso Jure nostro mandante, meliora semper sunt præferenda; quid nisi applausum bonarum mentium, quem unice ambio, mihi pollicear? Habeant alii suam sibi laudem aut superbiam meritis extra Christianam Philosophiam quaesitam:

*Quanto major ab his cedit Tibi gloria cæptis,
In quibus & linguam exercens, mentem quoque sanctam
Erudiens, laudemque simul vitamque capeffes:
Dumque legis catus, & scribis miracula summe
Vera Dei, propior discēs & carior ipsi
Esse Deo.*

Et paulò inferius :

*Neute ceu lapides Pyrrhæ argillamque Promethei
Contemnas, quem summa manus vultuque animoque
Sublimem, & propria dignatus imagine finxit.*

In Carmine
ad Collegam,
in Poetarum
Veterum Ec-
clesiasticorum
Operib. Fabri-
cii col. 775.

Cur enim de nostra disciplina verear efferre, quod de sacra Poesi, illa longè inferiori, olim scripsit Mamertus, Presbyter Viennensis? Adeste itaque, Nobilissimi Juvenes, Spes & Deliciæ Nostræ, purissimosque fontes nostros cupidè haurire ne desistite. Hos ego monstrabo Vobis, Deo juvante, præter alia, ulterius, quando reliqui Scholæ Nostræ Doctores publici Vos in aliis Academicæ doctrinæ partibus more suo, quod est dexterrime informabunt. Audite me præconem: Vivunt illi, Numinis auxilio, adhuc omnes? Vivere verò nisi in commodum vestrum, nolunt. Symbolum singulorum:

rum: *Haud possem vivere, nisi in literis viverem.* Otium deprecamur, ut vobiscum laboremus: solitudinem fugimus, ut vestro consortio fruamur. Loqui cum praesentibus volumus, ut videamur: Mutis Doctoribus nos viventes jungi cupimus, ut tacentes illos ex nobis loquentibus intelligatis. Habebitis nos publice, nos privatim habebitis totos. Quicquid in libris consignatum & in memoria reconditum habuerimus, Vobis petentibus parebit. Descendemus cum humilibus; cum sublimioribus ingenis enim studebimus. Qui praecipua intelligere volent, nos docentes, qui dubia resolvi petent, nos disputantes auscultabunt. Multa promittimus; sed ut ea praestare valeamus, dabit Deus. Nec est, quod de vestra, Charissimi, diligentia dubitemus. *Juvenes potestis discere, potestis facilem animum & adhuc tractabilem, ad meliora convertere, quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitandis per studia ingenis & exercendis per opera corporibus. Quod superest, segnius & languidius est & propius a fine. Scio, quos animos, quae horret ingenta. Vos modo venite, ut Vobis ipsi sitis tanti, quanti videbimini aliis, si Vobis fueritis.*

Cicero Epistolae familiar. IX, ult.

Seneca Epist. 109.

Plin. Epistolae, l. 3.

VALETE, MEA DESIDERIA,
VALETE.

Cic. Epist. familiar. XIV, 2.



Y 3

V.ERI.

V.

ERIDIS SCANDICÆ CONVITIA

&
EXCEPTIONES

Adversus defensionem Meam
contra Dissertationem Episto-
licam Rondini.

Inserta est Defensio ipsa, singulisque
exceptionibus subjuncta
Responsio.

JULIUS RONDINUS IN PRÆ-
FATIONE ERIDIS SCAN-
DICÆ p. 4.



*Nicus Valentinus Alberti, Lipsiensis Theologus, nondum ad-
quiescere videtur, velut surpe sibi foret, inane litigium
non in infinitum protrahere.*

Resp. *Jamq, adeò super unus eram; Virgil. L. 2.
Æn. De reliquis enim Antagonistis suis in antece-
dentibus proximè lineis jamjam triumphum cecinit. Sed vere-
or ne ante victoriam. En enim ex acie illa Celeberr. Zentgravium,
qvi contra Rondinum, Pufendorffii triarium, aut potius Pufen-
dorffium ipsum, masculè se defendit nuper in Dissut. de conveni-
entia honesti cum natura humana, Argentorati habitæ 3. April. Ao. 1686.
Quid itaq, mirum, si unus aut alter eorum triumphanti occinat
illud è Platone in Lysside; O ridicule Hippobates, anteqvam viceris,
ensomium in te ipsum componis. & tantas, Ego verò cur filere nec
velim*

velim nec possim, alibi jam dixi, imprimis in *prafatione disputat. de primar. axiomat. Jur. N. divisione*, quæ infra, prælo submissa denuò, sequetur: *Enimvero, inqvio, cum non inuitus alias cedam unicuiq;, hic morem meum thigrare, prog, victòria veritatis modestè pugnare, per conscientiam jubeor. De privilegio enim Christianorum agitur, quod culpa mea per dendum non est nec imminuendum.* An igitur inane hoc litigium est, in quo thesaurus Christianorum longè pretiosissimus à me defenditur contra domesticos inuafores? An non turpe mihi foret, eum, cum possim, ulterius non defendere ac conservare?

Non minor est virtus, quam querere, parta tueri.

*Est, ita pergit Rondinus, in eo vehebementer laudandū sit viri ingenium, quod cum utiq;, extremam personam in hac fabula agere pertenderet, ita inficetam defensionem aduersus Julium Rondinum adornauit, ut nemo cordatus nanius istas responsa dignatarum sit: quod aduersarii silentium ipse post velut concessionem victòria interpretaturus sit. Sane enim cum nihil præter crambem bis coctam apponat, rancidis quibusdam distincti-
mondis & pedantico planè pipere conditam, primo statim intuitu Lectorem nauseâ opplet, nedum ut quis in eam se obfirmare patientiam queat, ut commentis istis operose destruendis horam impendere possit.*

Resp. En Doctorem Juris Naturalis, qui per injurias illud contra me defendit! Enimvero ab inimico crimine aliquo notatus, si id verum sit, majore id studio expurgare debes, quam vestis aliquam commonstratam maculam. Si falsum, tamen querenda est causa, quæ criminatiõni occasionem dedit; *Plutarch. de capienda ex inim. util.* Cujus saluberrimi moniti, cum Juri naturali examussim sit conforme, memor ego, subjiciam *Defensionem meam aduersus personatum Rondinum* ad verbum, ut appareat, an illa huic criminatiõni occasionem dederit nec ne? an inficeta sit nec ne? an naniâs contineat nec ne? an ego crambem bis coctam apponam. nec ne? an rancidis quibusdam distinctiunculis & pedantico pipere utar nec ne? an verò ex insipido papavere hæc Aduersarii condimenta facta sint, ut lectorem nauseâ opplerent, ne in eam se obfirmaret patientiam, ut sententiis & rationibus nostris examinandis vacare satis falsumque à verò discernere dignaretur? Horum omnium, ceu par est, judiciū sit penes legentem & intelligentem.


DEFEN-

DEFENSIO
ADVERSUS
JULII RONDINI
 DISSERTATIONEM EPISTOLICAM,
 SUPER CONTROVERSIIS,
Quæ
SAMUELI PUFENDORFIO
 Cum quibusdam aliis circa
JUS NATURALE
 intercesserunt,
 Edita A. M DC LXXXIV.

C. B. D.

Statig Thebaid,
L. IV. subinit.

*Tertius horrentem Zephyris laxaverat annum
 Phœbus, & angustum coquebat limite vernò
 Longius ire diem, cum fracta impulsaque fatis
 Consilia, & tandem miseris data copia belli.*


 Empus convenit, imò & res; si parva licet magnis, quod est, incruentas Scholæ velitationes funesto bello componere, - Anno nimirum post octogesimum primo in lucem publicam emisi Parænesin meam ad Studiosam Juventutem, quæ partim insertam, partim subnexam habet Responsionem ad DN. PUFENDORFI Spicilegium Controversiarum. Ex illo tempore quievimus pugnae; pausa facta est; pacis spe aut specie blandiente nobis; sed more suo, quod est, dubiè atque inconstanter. Nam tertiò post annum

nô fracta impulsaque fatis confiia, dataque adversæ parti bellicopia, educto vernis hujus anni nundinis vago milite adversus nos, cui personatum nomen *JULII RONDINI*, in *Dissertatione Epistolica super Controversiis, quæ SAMUELI PUFENDORFIO cum quibusdam aliis circa Jus Naturale intercesserunt*. Miseram verò dicere illum quidambigam? cum suo seipsum nomine spoliaverit; tantum abest, ut decenter ornatus & armatus incesse- rit. Hinc misera quoque pugnandiratio; per aberrationem ab historia, quam studio corrupit; per lutam cum umbris, quas loco mei sibi objecit; per verborum aculeos, quibus me impetiit. Videas quidem alicubi blanditiis etiam ipsum studere, gravioraque diffensionis Capita aut momenta dissimulare, haud aliter, ac si concordiam inter me Dnq; Pufendorfium ineundam, bono animo meditetur. Sed & bona fide erat agendum, sine ira & studio; quorum causas procul habuisset, si officio Mediatoris fideliter fungi voluisset; præsertim, cum ego, quilibet omnes, imprimis domesticas & inter ejusdem Fidei consanguineos motas toto animo detestor, ad pacem cum omnibus colendam sim promptissimus, ut his artibus non fuerit opus. Eandem æquitatem promitto mihi ab ipso Dno Pufendorfio, imò idem Judicium de Rondino; modo dignetur attendere ad mea ipsiusque verba, quæ studio veritatis & majoris claritudinis ergò proximè sum juncturus.

I. RONDINUS pag. 4. & 5. Inter Pufendorfium igitur & Valentinum Albertum, Theologum Lipsiensem, non tam super re ipsa & dogmatibus, quam super Methodo disceptatum fuit. Nam ille quidem legibus Methodi conveniens duxerat, suam disciplinam è genuinis & domesticis principiis adornare, abstractis tantisper & sepositis, quæ à Religione divinitus revelata commodato sumi possunt; non qui-

Z

dem

dem fastidio divinarum literarum, sed ne controversis Theologicis velut vortice quodam involveretur disciplina universum mortalium genus spectans, non prout peculiaribus & ad salutem aeternam tendentibus circa sacra dogmatibus imbutum, sed prout ratione prae dicitur est. Tum & quia praxis ejus disciplina non inter Christianos duntaxat, sed & inter Gentiles & Muhammedanos, inter se & cum Christianis negotia tractantes, conspicitur. Ast Alberto potius visum scita Juris Naturalis ipso è Paradiso petere.

§. 1

Resp. Committitur fallacia compositionis & divisionis. Mutilatur nimirum historia de dissensu nostro. De Methodo quidem in disciplina J. N. adhibenda disputavimus nos, sed simul de aliis, quae nimirum illam apud utrumque stipare videantur aut sequi. Nam cum Dn. Pufendorfius inter principia sua, quae Rondinus genuina & domestica vocat, pro primario habeat statum hominis miserum, fictum ipsum atque commentitium, in quo hominem, anquam projectum ut canem, aut andecunq; in hunc mundum imaginatur sibi; substitui ego primum hominem reverè felicissimum, serio statuens, non locum esse fictae miseriae, ubi verissima est felicitas; praefertim cum in Christiana Philosophia nullam hypothesein, quae verbo Revelato sit contraria, liceat praesupponere aut admittere. Praeterea haec via pervenio ad primævum hominum statum, quem ab omnibus, cum disquiritur prima origo Juris, supponi testatur Gassendus in Philosoph. Epicuri p. 1528. Imo hoc necesse est facere in Jure N. cum eandem cum Natura ipsa originem habeat, quae, nisi in primævo & antiquissimo hominum Statu non potest inveniri. Hæc verò, num alius esse potest à Statu integro, in quo hominem primum ipse collocavit Creator Deus? Quod dum cognosco, eundem, simul hujus Juris Autorem, ac proinde (qui finis legis Naturalis præcipuus est,) summè honorandum atque colendum esse, longè clariùs quàm ex hypothese de Socialitate intelligo. Imò ipsa axiomata Juris N. hæc viâ certius addisco tutiusque usurpo, quàm si in lubrico quodâ fundamento, quale non possunt non esse fictæ hypotheses, insistere ac incedere vellemus. Quæ omnia,

mania, cum divortium sententiarum nostrarum fecerint, sub incudē etiam disputationis revocata sunt à nobis, in *prefat. Specim. Vindiciarum Mearum, it. in Suprà pag. 171. & in Spicileg. Dn. Puffendorffii p. 51. 52.*

§. 2.

Nec metuendum fuit:) *ne hac metodo à me controversiis Theologicis velut vertice quodam involveretur disciplina universum Mortalium genus spectans; Nulla enim inter præcipuas Religiones Christianas dissensio est super parte Morali imaginis divinæ, quippe quod illæ omnes hominem integrum examissum bonum, æquum & justum fuisse admitant; ideoque nullas hæc super re controversias alere, nedum disciplinam Juris N. iis. involvere possint; quod jam dudum notavi in prefat. ad Lector. I. Part. Compend. pag. 17.*

§. 3.

Nec obstat 2) *quod praxis hujus discipline non inter Christianos duntaxat, sed & inter Gentiles & Muhammedanos, inter se & cum Christianis negotia tractantes, conspicitur. Nam per methodum meam non privantur Gentiles omni, sed perfectiori tantum notitiâ Juris N. quâ Christianis licet uti; haud aliter ac Theologia Naturalis illis imperfectiùs, perfectiùs nobis competit. Vide Specim. Vindiciar. Mearum Cap. I. §. 5. seqq. Nec gradus ille notitiæ major, qui nobis Christianis proprius est, ad negotia civilia tractanda absolutè necessarius est; sicut nec perfectior nostra Theologia Naturalis ad usum pædagogicum in Gentilibus, Rom. I. 19. seqq. Hinc Gentiles & Muhammedani tam inter se, quàm cum Christianis sine eo negotiè bene tractare possunt; tametsi Jus N. meliùs sic cognoscant Christiani.*

II. RONDINUS pag. 5. Quo sine & regulas quasdam concinnavit, non absimiles illis, quæ apud Logicos de inventionem Medii termini occurrunt, insigni usu ad juvandam hominum ratiocinationem, si jam antea consecutionem rerum norint.

§. 4.

Resp. Gratias agendo. Nihil enim ego aliud volo, quàm
Z 2 quod

quod notitia Juris N. quæ omnibus hominibus suò modò patet, juvanda sit à Christianis usù Regularum Mearum, magisque perficienda; sicut notitia de Deo naturalis, quæ nulli hominum denegatur, per Christiana præsupposita valde perficitur.

III. RONDINUS *ibid.* Quibus quidem, ut se suosque oblectaret, Pufendorfi nihil intererat. Unicus titulus scrupulum injiciebat, cui orthodoxie vocabulum infartum erat, quo se perstrictum, suosque libellos, à quibus adolescentes ab Alberto absterreri constabat, heterodoxie argui non obscuris indicis judicabat. Qui non parum in fermento erat, adversarios suos tam detestatam cordatis artem à monachis, & inimitibus Sacerdotibus Romana Sacra professis mutuari, ut etiam circa innoxias quæstiones ab se dissentientes hæreticorum vocabulo apud imperitos differre instituant. Unde vindicandæ existimationi acrius ad æstruendum id commentum connixus est, quam alias istius indoles merebatur.

§. 7.

Resp. Hoc verò apertè historiz repugnat. Impugnavit enim me Dn. Pufendorfius, primà vice in *Specimine Controversiarum* Anno 1678. anteqvam eodem anno Compendii Mei Orthodoxi Pars prima lucem publicam videret. Vide *prafat. Specim. Vindiciarum Mearum*. Theses quidem aliquas, Lectionibus Meis Grotianis intra privatos parietes præmissas sibi adversari putaverat Dn. Pufendorfius; hinc publico illo scripto adversus eas insurgerebat; sed titulus, cui Orthodoxie vocabulum infartum fuisse scribit Rondinus, ipsius Compendii, non Thesium illarum fuit. Ut taceam, ne apicem quidem illarum thesium ad illud usque tempus typis impressum nec nomen Dn. Pufendorfi expressum in illis fuisse: ut tantum scrupulum haud injicere potuerint. Sed hoc specimine historicz, scil. veritatis, opus habebat Rondinus, cum sine eo me Autorem hujus litis facere non potuisset; nimirum instar lupi mecum acturus, qui culpam

culpam aqvz á se turbatz in ovem transferre non erubescit. An verò verba illa, qvz Dn. Pufendorffium non parum in fermento fuisse, indeqve vindicanda existimationi acrius commixum esse, qvám aliàs mea indoles merebatur, expresse testantur, sunt Rei contentis? Sic facìle ignoscam ego Fratri, memor moniti Servatoris Mei, Luc. XVII. 3. Si peccaverit in Te frater Tuus, increpa illum: & si penitentiam egerit, dimitte illi.

IV. RONDINUS *ibid.* Albertus contrà, ne per Spicilegium ad silentium reductus videatur, in Parænesi sua præcipuis rebus tacite præteritis, tantùm hinc inde nonnulla sat frigide vellicat, & haut eo secius velut pro tribunali calculum profert; quo jure quave injuria, extra studia partium positi judicent.

§. 6.

Resp. Si accusare sufficit, quis innocens erit? Dicendum erat, quænam sint illz res præcipuz, quas in Parænesi tacite præteream? quænam sint illa nonnulla, qvz hinc inde sat frigide tantùm vellicem? ubinam haud eo secius velut pro tribunali calculum pro me feram? Ex suo nimirum ingenio me judicat, specimen harum iniquitatum jam edens Iuculentissimum. Ubinam enim tangit fundamenta mea, quibus Philosophiam Christianam inqve ea speciatim disciplinam J.N. solidè niti, probavi in Parænesi prolixè? ubinam modum, quo axiomata J.N. è statu integro derivanda esse *ibidem* ostendi? ubinam prærogativas sententiæ meæ *ibid.* assertas? His tanquam præcipuis rebus tacite præteritis aliqua, non omnia, Philosophiæ Christianæ exempla a me adducta, sat frigide, ceu mox demonstrabo, vellicat, & haut eò secius velut pro Tribunali calculum pro se fert.

V. RONDINUS *ibid.* & pag. 6. *Mihi sane isthoc è scripto decessisse potius nonnihil quam accessisse sentio ad estimationem, qua alias istum virum prosequabar.*

§. 7.

Resp. Annon legisti illud meum *Suprà p. 125. p. 155. & Pers. Sat. 4.*

--- *Recti finemq; extremumque esse recuso*
Euge tuum & belle.

Nec enim nisi bonis placere, nec nisi à laudatis laudari cupio;
Cic. Ep. V. 12. XV. 6. Qvis autem Rondinus? Tros Rutulusve?
 Albus an ater?

VI. RONDINUS pag. 6. Equidem recenset hic exempla Philosophiæ per Theologiam locupletata; ubi denuò adducuntur propositiones, quas vocant, inusitata: sed per quas etiam ipsius Logica Theoremata non magis augentur, quam Physica aut Medicina è miraculis.

§. 8.

Resp. Tantum est hoc lucrum Logicæ Christianæ, ut Professionis, quam ejus jacturam saltem ex parte, facere maluerit Vitus Vinsemius, Melanchthonis in docenda Dialectica Successor. Mortuò enim Melanchthone cum distribuerentur opera publicarum lectionum inter multos, quas unus ille antea subierat, accidit ut D. Vinsemius Græcæ lingvæ Professor, Vir verè σπουδῆς, Dialectices Professionem sibi commendari pateretur. Is cum ad explanationem predicationis inusitata pervenisset, addidit ad exemplum personalis unionis (verbum est Caro, Deus est Homo, Homo est Deus,) exemplum Sacramentalis unionis in Cæna Domini: *Panis est corpus, Vinum est Sanguis.* Sed statim à lectione, qua ipse ultima in Dialecticis fuit, jussus est retinere suam Græcæ Lingvæ & deinceps omittere Dialectices Professionem. Selmeccerus in Recitationibus pag. 13. & 14. Magna injuria; quam tamen pro sua sapientia (ita pergit Selmeccerus d. l.) patienter ferre, quam unicum exemplum propositionis inusitatae (Propositiones Sacramentales,) è Logica Christiana auferre maluit. Quid pati recusasset Vir Optimus, si & alterum exemplum (propositiones personales,) vim pati vidisset? Eò verò turpius est, nostram, quam profitemur Religione indignius, quod benignitatem Theologiæ Revelatæ in Philosophiam Christianam ne quidem in tam claro specimine agnoscere velimus; cum à Pontificiis publicè illam deprædicari videamus. In re, qua est præter omnem antiquam Logicam, non est mirandum, novam predicationem inveniri. Sic candidè *Arriaga Tom. VI, Theol. Scholast. p. 505.* Simile testimoni-

um

um *Fonseca* allegatum vide in *Specim. Vindiciar. Mear. Cap. I. §. 16.* Imò verò si hoc lucrunt Christianæ Logicæ negligeremus, insuldaturi nobis essent Philosophi *Erbniti*, quasi non sciremus loqui consequenter ad nova mysteria; quod rectè observat *d. l. Arriaga.* Tametsi verò hæc propositiones quoad modum prædicandi à reliquis omnibus abeunt, ideoque inusitata dicuntur; propriè tamen prædicationes: sunt meritoque suo ad Logicam (Christianam) referuntur. Bèné Doctór Meus *B. Kromayerus Theolog. Positivò Polemica pag. 225.* *Logicæ sunt, quantum ad generalia prædicationis Logicæ attributa, quod scilicet, consistens subiecta & prædicato; quod sint categorica & affirmativa; addo ego: absolutæ, finitæ, de tertio adjacente, singulares &c.* Cur igitur per has Theorematum Logicæ non magis augeantur, quàm Physica aut Medicina è miraculis? Miracula enim non sunt res naturales inusitata sed planè supernaturales, ideoque Sphæram Physicæ & Medicinæ prorsus transcendunt: Nostræ verò Propositiones sunt & manent propositiones Logicæ, tametsi sint inusitata.

VII. RONDINUS ibid. Circa aquas supracœlestes debuisse distinctius supponere certum mundi systema, Ptolemaicum, Copernicæum aut Cartesianum.


§. 9.

Quid diversis mundi Systematibus cum aquis supracœlestibus? Hæ enim omnibus orbibus cœlestibus, quomocumque locentur aut ordinentur, tanquam supracœlestes, sunt altiores, at perindè sit, quodcumque mundi Systema præsupponatur.

VIII. RONDINUS ibid. Sed nec usquam S. Scriptura docet, fontes & flumina ita oriri è mari, ut ex hoc ad illorum capita per tubos seu canales quosdam subterraneos aqua permanet: Eoque Scriptura S. non contradicit, si quis docet, vapores è mari adscendere, è quibus in pluvias resolutis & spongiosa tellure exceptis fontes & flumina orientur.

§. 10.

§. 10.

Imò verò Scriptura hoc docet, , ut eant flumina è mari & in mare; *Eccles. Cap. I. 7. Aben Ezra hoc. etiam refert ad vapores in sublime elevatos è mari, qui deinde in aquas resoluti in mare redeant; sed prior sensus, inquit recte docetissimus Mercerus in b. l. simplicior est; quòd scilicet è mari ad suos fontes (eundo) perveniant sub terra, & super terra (redeundo) insistant in mare. Quod tamen tam crasse accipiendum non est, ac si aqua ex mari ad capita fluminum per tubos seu canales quosdam subterraneos permanet. Bene enim Varenius, (qui in hac doctrina prx aliis mihi placet,) *Geograph. General. pag. 231. Aqua ad fontem pervenit, non per aliquem alveum vel tubulum ex alveo maris (sic enim falsedinem retineret,) sed per continuam aquearum particularum progressionem vel reptionem (ut ita dicam) in materia terrestri ad loca vicina fonti, ubi demum in guttas colligitur, propter cavitatem & continuam successionem aqua, atque sic fontem efficit.**

IX. RONDINUS *ibid.* Nec ad reliqua exempla quod excipi possit, forte defuerit.

§. 11.

Ἐπίφασις; qualem in Dn. Pufendorfic aliquoties notavi & rejeci. *Vid. Suprà pag. 115. 118. 124.* adeò ut mirum non sit, Rondinum per *κακοζήλιαν* vestigia ejus premere.

X. RONDINUS *ibid.* Sed si utique deinceps ita philosophari pertendit Albertus, nemo sane prohibebit, nec puto magnopere admirabitur, modo alios, quibus confusus philosophandi modus non placet, heterodoxias crimine non aspergat, nec velut literarum divinarum contemtores traducat.

§. 12.

Resp. Esto: Rondinus ejusq; similes id non admirentur. Quid tum postea?

Pro captu Lectoris habent sua fata Libelli.

Distinctè vero ego in Christiana Philosophia theses philosophicas pono, hypotheses Theologicas suppono; *vide Specim. Vindi-*

Vindiciar. Mear. Cap. I. §. 16. Suprà p. 50. seq. tantum abest, ut hic philosophandi modus sit confusus. Non autem est, quod fulmen anathematis metuat Rondinus, à me quidem vibrandum. *Μορμολύκειον*, quod suprà somniabat n. 3. animo hic iterum observatur; idque securè negligi potest.

XI. RONDINUS *ibid.* & *in Er. S. p. 394.* *Equidem in hisce complures passim propositiones occurrunt, cum ad alias Philosophiæ partes, tum præcipuè ad moralem spectantes. Sed cum is earundem scopus non sit, ut philosophiam doceant, ista velut obiter & extra primum scopum adjecta intelligi debent, quæque adeo naturam constitutionem & indolem disciplinarum, è quibus quævis istarum propositionum petitur, non alterant.* Sic licet Propheta Regis Ezechie apostemati emplastrum imposuisse dicatur è ficibus confectum, aut Samaritanus oleum & vinum viatoris vulneribus infudisse, haut ideo Chirurgia Christiana est comminiscenda. Non magis, quam Geometria Christiana opus est, quia populari modo in libris divinis ratio diametri ad circumferentiam exprimitur.

§. 13.

Resp. *ἰδὲν τοῦτο ἐστὶν*; Non enim ego quaslibet propositiones S. Scripturæ, quæ ad Philosophiam spectant, pro hypothesebus Philosophiæ Christianæ agnosco aut vendito; sed tantum eas, quæ nobis rem è lumine Naturæ non quæque cognitam, quoad τὸ ἔλε, manifestant, ut Philosophia deinde, in demonstrando τὸ διότι, illis tanquam præsuppositis, tuto niti queat. Hunc in modum cognoscit è Spiritu S. Logicus Christianus, Deum esse hominem, suoque in foro post novam propositionis speciem format. Idem facit Metaphysicus Christianus in doctrina de distinctione reali inter naturam humanam & subsistentiam ejus, postquam è Theologo audit, hanc ab illa in incarnatione Filii Dei re ipsa separatam fuisse. Sed hæc & plura alia exempla vide *Suprà p. 138. seqq.* Speciatim huc pertinet Status hominis primævus, quem ab omnibus, cum diqueritur prima origo Ju-

ria, *supponi*, reſtè dicebat *Gaffendus ſupra p. 178.* Hunc ſola revelat S. Scriptura; qvem proinde Nos ab eadem mutuamur & in diſciplina Juris N. per modum præſuppoſiti adhibemus. Regia omnino via, qvam qui deſerunt, ranam pro Diana, hominem miſerum & corruptum pro felici & integro amplectuntur. Num autem hypotheſes ſuas, & quidem hujus generis, qvòd eſt, fundamentales, etiam Medicina, Chirurgia & Geometria in S. Scriptura inveniunt? *Αἴτιον.

XII. RONDINUS. p. 7. § in Er. S. p. 394. Quamquam autem ponas, omnia præcepta Legis naturalis & acrarum Literarum complexu contineri; id tamen non obſtat, quo minus peculiaris ſit diſciplina juris naturalis, domeſticis principiis modoque demonſtrandi & deducendi ſua ſcita conſtans. Sic Scriptura S. præcipit, ne quis fratrem ſuum in emendo vendendoque defraudet. Sed num ideo ex eadem petendum, quid emtio, venditio ſit, quæque ejus requiſita? Aut ideo Jurisprudencia Chriſtiana extruenda, & ſiquis ex indole ejus contractus, ac communi conſtitutione generis humani id præceptum demonſtret, tantum non pro homine profano eſt habendus? Aut quia Apoſtobus ultimas voluntates validas eſſe debere dixit, ideo Juri non è domeſticis principiis de natura & validitate teſtamentorum tradunt? Unde etſi ipſa præcepta legis naturalis in Theologia & Jure perpetuo eadem ſint; manet nihilominus Juris perpetui peculiaris diſciplina, alteri non ſubordinata.

§. 14.

Reſp. 1.) Dixi modò, diſciplinam Juris N. non theſes, ſed hypotheſin ſuam à S. literis mutuò petere & accipere, & quidem illam primariam de primævo hominis Statu, qva hæc diſciplina carere neqvit, ipſa verò nullibi extra Scripturam reperitur. Hujusmodi verò hypotheſes Jurisprudencia (æqvè ac Medicina, Chirurgia & Geometria in §. 13.) in S. Scriptura non inveniunt; indeque qvæ ab ea quoque petitur, *ἵσχυρον*, prorfus eſt

de dogmatibus ☉ Sanè nec Nos è S. Scriptura deducimus, quid calumnia; quid furtum & adulterium sit; haud secus ac Jcti, quid emptio, venditio sit, quæque ejus requisita. Actus tamen illos Jure N. prohibitos esse, intelligo, quia ad Statum integrum in Moralibus nos non reducant, sed ab eo magis magisque revocant & repellunt. 2) Mea quoque sententia peculiaris est disciplina Juris N. tametsi præsuppositum suum primarium de Statu hominis primævo à Theologo aut potius Spiritu S. ipso accipiat; haud aliter ac Theologia Naturalis manet peculiaris disciplina, tametsi ex eodem fonte, haud alio modo ac fine, multa in commodum suum hauriat. Semper enim hypotheses & theses accuratè sunt distingvendæ. Theses suas domi inveniunt & excolunt singulæ disciplinæ; hypotheses foris invenire ac sine omni confusione adhibere possunt; quem in modum Physicus non dedignatur audire Nautam, de rebus naturalibus hæctenus incognitis differentem; quid igitur nos gravabimur auscultare Spiritum S. Nec per hoc Philosophia, propriè loquendo, subordinata evadit disciplina. Subordinatio enim est inter disciplinam & disciplinam, qualis S. Scriptura non est. E libris verò est; qui vulgò Loci Communes dicuntur, & in quos tanquam Communes, jus commune omnibus competit; quanquam in gradu diverso. Quo modo sanè aditus ad S. Scripturam Theologis magis, reliquis minùs patet. De alio significato subordinationis *vid. Specim. Vindic. Mear. Cap. I. §. 17.*

XIII. RONDINUS, ibid. Præsertim ubi non questio est de veritate præceptorum, sed de Methodo ejus discipline principiisque & modo demonstrandi; quæ usque adeo unice è rationis lumine promanant, ut ne Theologi quidem è sacris literis petere soleant, quæ Methodo corpus aut Systema Theologiæ sit adornandum, sed Logices tradita respiciant.

§. 15.

Resp. 1) Negavi *suprà* §. 1. de Methodo hujus disciplinæ, principiisque & modo demonstrandi tantum inter-me ac

Aa 2

Dn.

Dn. Pufendorffium quæstionem esse. 2) Distingvendum est inter Methodum formalem & realem. Formalis consistit in ordine doctrinarum prius vel posterius locandarum; traditurque à sola Logica (in actu signato,) sicut (in exercito) ab omnibus disciplinis, ipsaque adeo Theologia usurpatur. Realis verò posita est in deductione thesium uniuscujusque disciplinæ è genuinis præsuppositis & principiis; de qua nulla ex parte in Logica, in singulis verò disciplinis, prout ipsa diversa est, diversimodè agitur. Sic Theologia methodo reali theses deducit omnes è verbo revelato: *ἄυτις ἰθα*, Ipse (Deus) dixit; quâ de re altum in Logica est silentium. De hac verò methodo in disciplina Juris N. sub judice litem esse, potuisset Rondinus ex ipso Dn. Pufendorffio discere, quippe quod eam constituat in deductione Juris N. è socialitate; sicut ego in derivatione è statu Integro; ubi uterque securi sumus de Methodo formali, quid prius, quid posterius sit collocandum aut proponendum.

XIV. RONDINUS p. 3. Sin Er. S. p. 395. Sed Glabes, quæ intellectus humanus infectus deprehenditur, non minus illos urget, qui sacra tractant, aut hypotheses suas è paradiso petunt, quam alios, qui solo rationis lumine prævio philosophantur; cum non minus errorum & contradictionum sit aut fuerit inter eos, qui circa sacra dogmata versantur, singuli orthodoxie elogium sibi raptantes, quam inter Philosophos.

§. 16.

Resp. 1) Concedo, nos omnes esse homines, ideoque nihil humani alienum à nobis putare posse; inde vero simulo intelligo, eò magis operam nobis dandam esse, ut præsupposita certissima, qualia sunt divina, ubi ubi possumus, adhibeamus. Sic enim minus aberrabimus. 2) Non nego, Theologos quidem diversarum partium super elogio orthodoxiæ pugnare invicem; facile tamen de victoria constare potest, illorum nimirum, qui præsuppositis verè divinis nituntur. Nisi verò Nostratibus orthodoxiæ titulum ambiguum reddere audeat Rondinus;

nus; quod, si Lutheranus est, quod spero, facere nec potest nec debet.

XV. RONDINU *ibid.* Uti tamen ob prava hominum interpretamenta veritas verbi divini in se non corrumpitur, sed absterfis istis eadem pura enitescit: ita errores philosophantium lumen rationis & naturam rerum velut genuinae Philosophiae principia non corrumpunt, quin ejusdem liquida asserta elucescant illis, qui abdicatis praedudiciis solidam ratiocinandi & demonstrandi viam insistant, quoad quidem humanae perspicaciae penetrare datur.

§. 17.

Resp. Apponitur crambe biscocta, è *Spicilogia Controversiarum* Dn. Pufendorf. *Suprà p. 82* quam jam respuit *Paranef. Sup. p. 151.* Quis enim nescit, aliam verbi divini, aliam disciplinarum Philosophicarum esse rationem? Illud unice Deum, he proxime hominem Autorem agnoscunt. Quanta verò haec diversitas! Ab eo, qui ipsa veritas est, quid nisi veritas expectetur? De hominibus, cum errare sit humanum, quis idem ausit polliceri? Ex hac causa verbum Dei, ori nimirum purissimo, quo profertur, conformè, nunquam non existit limpidissimum: Philosophia sordes ab hominibus, haud aliter ac rivus ex impura scaturigine trahit. Interpretes Scripturam, b.e. homines divina veritatis Oceanum, in littore oberrantes, turbare nequeunt: Philosophi rivus sapientiae humanae, quos ex seipsis deducunt, facile commaculare possunt.

XVI. RONDINUS *ibid.* Injuriam porro Philosophia faciunt, qui eam hominibus, ut sunt labe infecti, autoribus attribuunt, cum & illa divina sit originis, resultans ex lumine rationis, nobilissima utique Dei creatura, opera divina debito studio contemplantis.

§. 18.

Resp. Distingvendo inter originem & usum. Origo Philosophiae est divina, sed usus ejus humanus est, & multis erroribus hodie non potest non obnoxius esse. Confer §. 17. proxime antecedentem.

XVII. RONDINUS *ibid.* Quod si labe humana mentis eo usque porrigi debeat, ut ne modus quidem demon-

Strandi & sequelas nestendi sincerus superstit, non video quid certi ipsa Theologia sibi polliceri queat. Sane hæc res ipsas duntaxat, non modum sciendi tradit, & formalis connectio Theſium Theologicarum & quam subinde in ore habent Theologi, bona consequentia animæ humane factus est, quam nisi observaverit Theologus, sine mente sonum dare aut delirare videbitur, quicquid verborum aut sententiarum hinc inde è sacris libris consarcinet.

§. 19.

Resp. Concedendo totum. Quid enim hoc ad me, qui disciplinz Juris N. non in formalibus sed materialibus, è S. Scriptura suppetias fero. *Vid. p. 188.*

XVIII. RONDINUS p. 9. & in Erid. S. p. 395. De cætero inanis est; Alberti metus; universalem hominum socialitatem ideo non posse haberi regulam agendorum, quia peculiaris societatis bonum ejusmodi regule vicem sustinere nequit. Id enim perinde est ac si dicerem, bonus civis non potest omnia metiri proprio comodo, igitur non potest omnia metiri bono civitatis.

§. 20.

Resp. Ubinam hoc dico? Longæ aliz sunt rationes, quibus socialitatem pro adæqvato Juris N. fundamento habere nolo, adductæ à me in *Prefat. Part. I. Compend. p. 8. & in Specim. Vindiciarum Mear. Cap. I. §. 19.*

XIX. RONDINUS ibid. Sed quia Albertus cause sue presidium non tam in ponderibus rationum quam fosculis eloquentiæ suæ reposuisse videtur, dum precibus blanditiisque tantum non puellaribus delicias suas invitat, ut Lipsiam iterum advolare velint ad degustandam Compendii orthodoxi Ambrosiam, nemo ipsius aversario suascrit, ut incipiendo cum isto certet, aut ad captandos aliquot imperitorum adolescentium plausus veluti ad aram Lugdunensem non sine anxietate declamet.

§. 21.

§. 21.

Resp. Extrema occupat scabies calumniæ; tantum abest, ut observaverit illud Camerarii Nostri:

Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est.

Nolim igitur tangere illam aut fricare. Delicias tamen meas jure meritoque vindico, quas precibus blanditiisque tantum non pullarum à me invitari, viriliter, scilicet, scribit. Sed novit forte Rondinus, quis sit Stylus Curia Veneræ, cum ego meum hauserim ex ipso Cicerone, Viro gravissimo & ab hujusmodi ineptiis prorsus alieno. Sicut enim ille Amicos passim amores & delicias suas vocat: Ita ego Juvenes Studiosos. Sicut eidem Cicero Filius spes reliqua sua, *Epistolæ. XIV. 4.* Ita mihi Adolescentes ingenui. Sicut tandem ille ad Suos *cod. L. Epist. II.* Ita ego ad Juventutem Studiosam in fine Parrænesis imò in hujus etiam responsionis mez calce:

Valete, Mea Desideria, Valete.

Hæc est Defensio mea; quam si inficetam, ceu spero, non invenisti, vanitates tamen & nãrias, scilicet, iudicio Pufendorffii nunc in ea observabimus.

EXCEPTIONES, PROËMIUM.

Esse, ut verbo præcipuas hominis vanitates notemus, fortè non abs re fuerit, si fortè istum permovere possimus, ne suis sibi neniis tantoperè placeat.

Resp. Tam graviter in limine impingit ipso, vanitates mihi nãriasque imputans, ne observetur, quantum sit apud ipsum

— — — *in rebus inane.*

Verba

Verba enim promittit ipse, imò verbum tantum; quod etiam præstitit, nisi aculeos, quos ubiq̃ immiscet, pro rebus habere velis.

EXCEPTIO PRIMA.

Sic quàm putidum est, quod post tam perspicuè deductam statum naturalis indolem, nondum desinat coccyssare Albertus, à Pusendorfio pro primario haberi principio statum hominis miserum, sicutum illum acq̃ commentitium, in quo hominem tanquam projectum utcumque aut undecumque in hunc mundum imaginatur sibi. Næspiam quippe à Pusendorfio hac hypothesis assumitur, hominem undecumq̃, aut utcumq̃, in terram projectum: Sed cum vellet demonstrare, quantum boni ex societate in hominem redundet, & quàm miser sit homo sibi soli relictus, etiam à Parentibus fuit abstrahendum, seu ab illo auxilio, quod nati homines à parentibus suis experiuntur, nisi hoc per peculiarem Numinis curam suppletum fuerit. An hac est hypothesis, aut principium, si alicujus rei usum demonstrarem ex ejusdem remotione? Aut an tali modo demonstrandi admittitur aliquid homini Christiano indecorum?

Resp. Tui es oblitus. Quomodo enim scribis *Lib. II. de J. N. & G. Cap. 2. §. 2.* Si igitur concipias hominem in hunc mundum projectum, citra ullam curam opemq̃, ab alio homine accedentem. Quomodo in *Apologia §. 11. in Eride Scandica p. 21.* Si inquam fingamus nobis aliquem hominem undecumq̃, demum in hunc mundum delapsum, & non præditum pluribus dotibus, quam prout nunc homines nascuntur. Quomodo ibidem *p. 25.* Cum hæc sit mea thesis; si fingatur homo solitarius in mundum incultum projectus, etiamsi ponatur jam jussu statuta & robore esse, cum tali modo existere capisset, ejus status erit miserimus. Quid clarius? Nam, quando concipis primum hominem undecumq̃ in hunc mundum delapsum inq̃ statu proinde miserrimo constitutum, hæc est thesis tua, fatente teipso in *Apol. p. 25.* quando hinc demonstrare anniteris, quantum boni ex societate in hominem redundet, & quàm miser sit homo, sibi soli relictus, quod facis *Lib. II. de J. N. & G. cap. 2.* et te fecisse, in *præfatione Eridi h.l.* fateris; thesis illa tua evadit hypothesis & principium, unde socialitatem deducis; quæ cum apud Te centrum

trum Juris Naturalis esse debeat; illud quoque principium Ejus pro primario à te haberi dixi. Hoc verò modo demonstrandi admittitur omninò aliquid homini Christiano indecorum, quia fingitur aliquid, cujus contrarium Spiritus Sanctus revelavit; de quo Canone Philosophiæ Christianæ principali vide *infra, disput. de Philos. Christ. Tb. XII.* Illud autem observatione dignum est, quod fictionem suam jam restringit ad abstractionem à Parentibus, seu ab illo auxilio, quod nati homines à Parentibus suis experiuntur, cum de longè majori, altiori ac graviore abstractione quæstio sit, quæ à Pufendorffio hic adhibetur, à me verò negatur & impugnatur. En contentem reum, tum alibi, tum in præfatione maxime *Libb. de officio hominis & civis juxta L. N. In disciplina J. N. abstrahendo ab illa cognitione, quæ ex S. Scriptura hauritur, formatur conditio primi hominis.* Quid causæ subesse dicam tam subitæ mutationi? Si quid conjectura valeo assequi; erubescere incipit, fortumque illum suum, hominem puta primum, summa felicitate, quâ DEUS eum beaverat; vi Pufendorffianæ abstractionis omni ex parte spoliatum, occultare, aliumque, pupillum quasi ac Parentibus destitutum, nullo præterea miseræ caractere notatum, supponere annitur; eum dubio procul in finem, ut ne tam facile advertatur, quod ab ipsa S. Scriptura hic abstrahat, quamque huic abstractio ejus adversetur, cum in illa de Parentibus primi hominis nihil legatur. Scio verò ego, cogitationes ejus posteriores alibi quoque prioribus meliores fuisse. Erubescat itaque, quod opto, ulterius; & exclamabo ego statim: Salva res est.

EXCEPTIO SECUNDA.

Sed & nasi parum sibi esse Albertus ostendit, quod non sine gratiarum actione acceptet, regulas, quas ipse commentus est, cum illis comparari, quæ de inventionem medii termini in Logica jactantur; cum utroque e ista regule vanitatis arguantur. Sane si quis vel millies regulas istas logicas volvas revolvat, nihil sibi mediocri terminorum pullulare videbit ad probandam aliquam thesiam, ni aliunde ejusdem probationem didicerit

dicerit. Sicut nec hilum quidem regula Albertina ad eruenda officia legis naturalis conferunt, nã quis eorundem anteaã habuerit notitiam.

Resp. Mitto Elegantiam, quam à naso petiit. Scio tamen, ex iis, qui non parum nasi habere sibi videntur, esse aliquos, qui sint naris, obelz, non acutz. Tales credidit illos esse Doctissimus Belgæ, *Martinus Schoockius*, qui ad doctrinam de inventione medii termini nauseant nãmis, & usum ejus genuinum percipere nesciunt. *Dicitur*, inquit, longè rigidius, quàm ego soleo, in *Colleg. Log. p. 383. Pons Asinorum, quod Asini eam non capiant, & eo, quod non capiant, rideant. Hinc igitur recedite inerses & asini omnes, accedat ingeniosus:*

Pontem neve exhorrescat amicum.

Qui verò rectè sapiunt, illi accurate distingunt inter usum regularum illarum & abusum. *Hic cum apud interpretes Aristotelis & Scholasticos non paucos inveniatur, à quibus ad instar panaceæ omnibus, qui inopiã laborant argumentorum, multis sub ambagibus vocibusque barbaris ineptè propinatur; ille se continet intra terminos suos, & cum in conflictu ipso non datur ei locus, ante eum, imprimis in examinandis novis difficultatibus, sæpius reperitur; quemadmodum etiam hæc doctrina insigni usu est ad juvandam hominum ratiocinationem, si jam ante consecutionem rerum norint. Qui posterior usus tam clarus atq; certus est, ut eum Adversarius his verbis ipse sit confessus *supr. 2, p. 179.* Ego verò ad hunc etiam unicè respiciens, gratias egi, quod cum hisce regulis mea collata sint axiomata, non sine singulari eorum commendatione. Quemadmodum enim regulæ de inventione medii termini insigni usu à *Rondino* dicuntur esse, ad juvandam hominum ratiocinationem, si jam ante consecutionem rerum norint: ita notitia quoque Juris Naturalis, quæ omnibus hominibus jam patet, juvatur à Christianis usu regularum mearum valde, perq; eas magis magisq; perficitur.*

Verum animo satis hæc vestigia parva sagaci,

Lucretius L. 1.

EXCEPTIO TERTIA.

*Porro Auctor rixæ & ille habendus est, qui alterum etiam intra pri-
vatos*

ratos parietes multis arbitris vellicat. Et quomodo aliàs Pufendorffio de ista philofophia Christiana, quam Albertus meditatatur, innotescere potuiffet?

Resp. O jejuna iracundia, quæ, modo de dissentiente audias, statim apud animum tuum excitatur! Vide *suprà*, p. 180. Quomodo verò Pufendorffio, quem absentem ne præfentes quidem à me nominari audiverant, privata illa sententia mea innotescere potuerit, mirarer ego ipse, nisi scirem esse, qui:

Quod quisq; in animo habet, aut habiturus est, sciunt,

Falsos, an verò laudent, culpent quem velint,

Non flocci faciunt, dum illud quod libeat, sciant.

Plautus in Trinum. Act. 1. sc. 2.

EXCEPTIO QUARTA.

Per miracula concedit Albertus physicam banc fieri locupletationem, quia illa sint res planè supernaturales. Et tamen per propositiones personales atve sacramentales Logicam locupletari contendit. Atqui Logica est disciplina rationalis, & qua indolem ratiocinii nostri naturalis tradit. Circa dictas autem propositiones oportet captivare rationem sub obsequium fidei. Nec idè ista Logici, ut ita dicam, sunt commercii, quia constant subiecto & predicato, sunt categorica & affirmativa. Hac enim etiam dici possunt de hac propositione: Homo est lapis. Et eo ipso, quod inusitata dicuntur, Sphæram Logices transcendunt, & ad sublimiorem disciplinam unice spectant.

Resp. Causa rerum ex naturali (Philosophix) parte sunt, argumenta ex rationali. Ariston ubi de naturalem & rationalem contrarias esse dixit; Seneca Epist. 90. Idem hoc loco nos dicimus. Physica enim miracula nullo modo ad res naturales, sive usitatae sint sive inusitatae, referre potest, cum illa omninò sint supernaturalia; Logica verò propositiones personales & sacramentales inter Enunciationes Jure suo recipit, quia, tametsi quoad modum prædicandi inusitatae sint, tamen per hoc non definunt esse propositiones. Captivanda verò est ratio sub obsequium fidei saltem quoad earum veritatem, de qua non è ratione sed revelatione, per modum præsuppositi in Christiana

Logica, nobis constat. Hinc Aristoteles has propositiones diceret esse falsas; non autem negaret esse propositiones. Quemadmodum etiam illa: *Homo est Lapis*; cujus Pufendorfius meminit, non quidem vera, verè tamen propositio est & manet. An enim demeministi, *Enunciationem esse, in qua verum aut falsum inest*: Apud Aristotelem *L. de Interpr. C. 4.* Denique cum inutilitate dicuntur, spheram quidem propositionum usitatarum in Logica, non autem Logicam ipsam transcendunt; & ad sublimiorem disciplinam, prout à fide suppeditatur earum materia, ad Logicam verò, in quantum forma earum ab illa examinatur, unice spectant.

Sed divesne est isthic Theotimus? Etiam rogat?

Plautus in Bacchidib. Act. 2. sc. 3.

Haud minus est Logicae Christianae commodum, quod sola inde accipit, ut frustra de eo quærat.

EXCEPTIO QUINTA.

Id verò nimis incogitanter ab Alberto positum, quod dicit: Aquas supracaelestes, quas scava interpretatio vocula Hebraica Meal peperit: quomodocumque locentur aut ordinentur, tanquam supracaelestes esse altiores, ut perinde sit, quodcumque mundi systema praesupponatur. Nam si quis ex illis, qui vortices Cartesianos statuunt, quærat, utrum aqua ista singulis vorticibus sint circumfusa, an verò non nisi universis; & hoc posito, quam figuram habeant, aut quem motum, aut num nihil aura aetherea illis superius sit? plus difficultatum Albertus inveniet, quam ut tam imperioso responso defungi queat.

Resp. Fateor, non incogitanter, sed summo studio à Pufendorfi mihi obijci Cartesium, quippe quod ejus novitatibus maximopere delectetur. Quanquam autem ego Christianus quam Cartesianus philosophus esse malo; hoc tamen loco, quod Cartesio sit contrarium, nihil dixi. Tres nimirum ille caelos statuit. In duobus inferioribus ponit vortices stellarum; de tertio verò, tanquam supremo, nihil determinari posse censet,

Prim-

Principior. part. 3. num. 53. p. 77. Esto itaque, in primo vorticibus Planetarum, & in secundo, stellarum fixarum, aqvas supraccelestes difficulter aptari posse; hz tamen ad tertium, aut ultra, tanquam supraccelestes, pertinebunt; de quibus, ad exemplum ipsius Cassini, nihil ulterius determinamus. Quo pacto inter vortices ejus & aqvas supraccelestes, nulla pugna erit; quemadmodum etiam Interpretum inter Patres, Nostros, Pontificios, Calvinianos, super voce $\gamma\upsilon\delta$ *Gen. 1. 7.* ipsisque aqvis supraccelestibus magnus h. l. consensus est; de quo *vid. B. Calov. Bibl Illustrat. T. 1. p. 226. 227.* Dubito verò, an eadem felicitate Pufendorfius magnæ Germaniæ aptare possit limites illos, quos Severinus de Monzambano p. 1. ei posuit; Rhenum imprimis ad meridiem, quem ad occidentem Germaniæ esse, vel cœco apparet.

καὶ ἡ ἀλαός τοιζήνε διακρίνει τὸ σῆμα.

Hanc etiam cæcus metam discerneret Hæspes.

Homer. VIII. Odyss.

EXCEPTIO SEXTA.

Sicuti & magnam gratiam à curiosis rerum naturalium scrutatoribus inibit, siv. gr. fontes Albiæ aut Rheni per continuam aquarum particularium progressionem vel reptionem in materia terrestri ad loca vicina fonti exsurgere demonstraverit. Sed nimirum ad Phænomena Physica explicanda liquidiorè demonstratione opus est, quam conglomeratione quorundam vocabulorum sensu carentium, & à natura rerum abhorrentium.

Resp. Quid opus est monitore, ubi id jam præstiti? Ostendi nimirum, aquam ad fontem venire, (κατ' ἄρου) non per aliquem alveum vel tubulum ex alveo maris (sic enim salsedinem retineret,) sed per continuam aquarum particularium progressionem vel reptionem (ut ita dicam) in materia terrestri ad loca vicina fonti, ubi demum inguttas colligitur, propter cavitatem & continuam successionem aquæ, atq; sic fontem efficit; & Varen. Géograph. general. p. 231. Quæ doctissimi Viri verba sensu carere & à natura rerum abhorrere, nemo

dixerit, nisi qui suo sensu abundare aut abuti velit. Enimverò hoc est Pufendorffii artificium, quod in disputando semper adhibet, ut ubi aquam sibi hærere videt, rationes Adversariorum suorum rejiciat, sine ratione. Hinc formula Ejus, quæ mox filium suæ adversus me disputationis intempestivè abrumpit: *Ad eundem, inquit, gustum reliqua sunt misella defensionis, quorum vanitatem quilibet deprehendere ultero potest, qui istas Pufendorffii scripta legit, quæ hic conjuncta damus.* Magnum Compendium; nisi majus esset dispendium, quod patitur veritas bonique tam disputatoris quam Viri officium. Misellam esse meam defensionem atque vanam, quilibet, qui calumniari didicit, dicere facile potest; Ast demonstrare hæc solide, diligenter excutere omnia, omittere nihil aut transilire, hæc boni disputatoris ac Viri partes sunt, quas nemo minus quam Pufendorffius hic implevit. Quid enim solidi opposuit mihi hæcenus, quod facillime non potuerim discutere ac refutare? Num excussit omnia? ubi è quamplurimis pauca quædam, eaque, quæ non maximi sunt momenti, reliquis ac potioribus insuper habitis, attigit tantum, aculeis adhibitis, qui me potius quam ipsam rem feriunt. Faciat mihi, quicumque hæc legit, Tros Rutulusvè, hanc gratiam, meaque Scripta cum Pufendorffianis medioeri diligentia componat, judiciumque ferat bonâ fide, quis ex nobis Sapientis aut Sophistæ munere defunctus sit, ita plenè descripto à Philosopho Lib. de Sophist. Et. c. 1. *Quando nonnullis magis è re est videri sapientes quam esse nec videri, patet, his magis opus esse, ut sapientis officium facere videantur, quam ut faciant nec videantur. Est autem (ut singula cum singulis conferam,) officium in quaque re sciuntis, nec mentiri ipsum in eis, quæ novit, & posse alium mentientem patrefacere: quorum alterum in rationis reddenda, alterum in sumenda facultate positum est. Necessè est igitur, ut qui sophisticè cavillari volunt, distorum argumentationum genus querant. Nam è re est: Hujusmodinamque facultas sapientem videri faciet: quod quidem hi præligunt.*

S. D. G.

VI.

VI.

DISSERTATIO
DePHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ
EXISTENTIA ET
ESSENTIA IN GENERE,probandis *ως ενίστερον* Thesin.

Habita XV. Decembr. A. MDCLXXXVI.

PRÆFATIO

PRÆSIDIS AD RESPONDENTEM,

JOH. GEORG. WERNERUM,
Königsteinensem, Magisterii Candidatum.

S*I*quid, inquit Cicero, *bonæ salutis eum τὸν ἐπιχορηγῶν. Et iterum: Consilium certe non defuisset εὐνοῦν τε δι' ἐχομένῳ.* Adeo placuit Oratorum Latinorum Antesignano Græcorum Poetarum Principis dictio, quæ melior promittitur aut expectatur fortuna.

Epistol. famil.
IX.7. Ad Attic.
IX.4.Homer. Iliad.
K.*Si duo conjuncti veniant.*

Ego vero quid pollicear Tibi, mi WERNERE dilectissime? quid expectes ipse, quando Tibi Philosophia & Christianismus conjunctim veniunt? Ex hoc nimirum incomparabili Pari nascitur Christiana Philosophia, quam hodie in cathedram, imo in arenam tecum adducis ipseque una mecum, defendendam suscipis. O auspiciatum

spicatum signum, Castore ac Polluce in fabula longè amabilius ac felicius! Me verò quod Tibi iunxisti hujus pugnae Moderatorem, bono quoque omine non videtur destitui, si quid bonae salutis *σύν τε δὲ ἐρχομίνω*. Ego enim, quo loco habeam philosophiam Christianam; quam amem aestimemque has delicias meas; quam lubenter patrocinium hujus Palladii Mei suscipiam, non facile latet aliquem, nisi cui specimina mea, publicè privatimque data, non innotuerunt. Nec ego hoc temere facio; nec tu sine ratione me imitaris. Enimvero laudi duxerunt Veteres, si ab aliqua Philosophorum familia splendide denominarentur: *Ego verò Philosophiam non dico Stoicam, nec Platoniam aut Epicuream & Aristotelicam, sed quaecunq; ab his sectis rectè dicta sunt, quae docent iustitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico Philosophiam.* Quibus Doctoris Christiani verbis non tantum sectam *ἐκλεκτικῶν*, antiquo titulo, Philosophorum designari, sed & modum eligendi optimum innui, haud difficulter intelligis. Quicquid enim ex omni Philosophia retinendum & approbandum est, cum pia scientia conjunctum esse debet; si absque hac fuerit, rejiciendum illud atque abominandum prorsus erit. Hoc verò modo, absque ulteriori ambage statim Philosophus Christianus eris. Eadem via incedes, si cum novis Philosophorum factionibus agendum Tibi aut congregandum fuerit. Olim quidem cathedrae Philosophorum adversus Novatorum molimina munitabantur autoritate Aristotelis, aut similis cujuscumque praeceptorum sapientum nominis. Sed postquam hoc propugnaculum hodiè videtur propemodum expugnatum esse, irruentibus passim, agmine facto, Cartesianis, Hobbesianis aliisque non minoris audaciae turbatoribus

Clem. Alexandrinus 1.
Stromat.

Ap. Diog. Laert., in Prooem.

bus quamplurimis; nullum aliud extrui aut opponi potest fortius, quam quod à Christianismo Philosophia in subsidium accipit, & non sine spe domesticæ tranquillitatis defendit. Gravis est vox, quam de multitudine novarum Scholarum effundit Historicus Nobilissimus: *Triginta jam anni volvantur, ex quo Gymnasii obruimur; ubi amabo augmenta literarum? ubi probati Auctores per hæc tempora? Si qui meruere in re literaria nomen, supra ætatem nostram sunt, apud veteres Magistros instituti, aut in majoribus Gymnasiis.* Numerum autem Scholarum cum accusat nimii apud Gallos suos incrementi, ad novas in illis methodos docendi se respicere, haud obscurè inquit, quibus à trita regiaque veterum Magistrorum via inutiliter non minus quam temerarie recedatur. Eò verò rectius nos de multitudine Novaturientium Philosophorum conquesti fuerimus, quo certius est, his Doctoribus cupidam humanæ sapientiæ juventutem in nulla re magis proficere, quam in contemptu piæ scientiæ, sibiq; in illa non libertatem philosophandi, sed licentiam errandi magno suo cum damno passim vendicare. His obviam eamus nos, quibus commissæ est publicæ doctrinæ cura & inspectio. Ponamus obiectiones, obijciamus impedimenta, cancellos circumdemus, quibus effringendis nulla par fuerit humana versutia. Tantum autem robur tantaque vis cujusnam, nisi Philosophiæ Christianæ erit? quæ fundamento nititur, quando divinis utitur hypothesibus, cui salvo Christianismi ac orthodoxiæ titulo, non licet repugnare. Vestrarum autem partium erit, qui nobis Magistris majores in studiis bonarum artium progressionem facere cupitis, spontè sequi. Imò Tu, *WERNERE Charissime*, promptissimè jam sequeris, ipsam Christianam Philosophiam, cu-

Cc

jus

Grammond.
Hist. L. 3. p. 198.

jus essentiam declaras, existentiam demonstras, amplexus, meq; simul Doctorem ejus haud invitum comitem, Deum autem Ducem habens; qui cum ejus Autor sit, suo etiam beneficio jam favebit præstabitq; ut omnia cedant feliciter!

TH. I.

Satis ipsum nomen Philosophia, etiam si modestè tractetur, invidiosum est, inquit Seneca Epist. 5. Res mira; cum ad declinandam invidiam hoc nomen primum adhibitum fuerit. à Pythagora, vocante se Φιλόσοφος, non σοφόν, & pro σοφία Φιλοσοφίαν profitente; apud Diog. Laert. in Praem. & L. 1. in Pythag. Longè verò admiratione dignius est, quod nomen Philosophia Christiana invidiosum sit apud eos, qui Christo non tantum, sed & Philosophia nomen dederunt, nullosq; magis, quam hoc modo proficere possunt.

TH. II.

Origo sanè ipsaq; quasi nativitas Philosophia hac vià optimè cognosci, clareq; deduci potest. Quando nimirum Philosophia Christiana privilegio suo, quod præ gentili habet, utitur, & ad statum integrum atq; corruptum respicit, videt se primum natam fuisse in isto, in quo intellectus scientias & voluntas virtutes examussim possedit; mox autem vulneratam graviter propeq; enectam per lapsum esse, relicta tamen spe recuperandi quadantenus vires suas, cum Dei gratia, principia tam theoretica, quam practica homini peccatori remanserint, quæ cum aliis priora non agnoscant, sed omnia in utraq; Philosophia ad instar basis cujusdam sustineant, prima jure meritoq; vocantur. Horum adminiculo per industriam humanam intellectum iterum scientiis instructum, voluntatem virtutibus exornatam, seq; adeò quasi renatam fuisse deprehendit; cum pars ejus Theoretica, in scientiis, Practica in virtutibus consistat.

TH. III.

Quo ipso discrimen simul inter existentiam & essentiam

tiam suam planissimè assequitur. Hodie nimirum se imperfectam existere, non potest non agnoscere, cum in scientiis ubique se cœcutire, ac in virtutibus parum proficere quotidiè videat. Essentiam verò suam omnibus numeris absolutam perfectamque esse, dubitare non potest, quando eam in hominem integrum, ipsius Dei imagine præditum, olim cecidisse, audit.

TH. IV.

Essentiz verò cum semper conformandæ sint definitiones essentielles, sequitur, Philosophiam Theoreticam esse complexionem scientiarum exquisitissimarum; Practicam, virtutum consummatissimarum; quanquam hodiè eo usque neutrobi adspirare valeamus.

TH. V.

Hæc autem omnia novit sola Christiana Philosophia distinctè ac perfectè, quia proprium ejus est præsuppositum Biblicum de statu Integritatis, è quo solo cognitio illa fuit. Notitia tamen confusa & imperfecta gentili Philosophiæ tam de origine quam essentia sua deneganda non est. Quò pertinet, si ad ortum ejus respicias, illud *Ciceronis* 1. *Tuscul. Philosophia omnium mater artium, quid est aliud, nisi ut Plato ait (in Timæo) donum, ut ego, inventum Deorum?* Si ad essentiam; communis ejus tam apud Græcos, quam Latinos descriptio, quæ *scientia rerum divinarum & humanarum esse dicitur*; apud *Plutarchum de placit. Philosophor. l. 1. cap. 1. Ciceronem IV. Tuscul. & II. de Offic.* aliosq; quam plurimos. Cum enim inter bona hujus vitæ Philosophiam eminere facile intelligerent, ad Deum fontem omnis boni, non potuerunt non eam referre; cumque inter cognoscendum non minùs quam appetendum se a Philosophia perfici viderent, duas etiam ejus partes in his duabus perfectionibus constituerunt. De utroq; audi *Senecam*; de priori *Epist. XCI. Quis dubitare, mi Lucili, potest, quin Deorum immortalium munus sit, quod vivimus: Philosophia, quod bene vivimus? Itaq; tanto plus nos debere huic, quam Diis, quanto magis beneficium est bona vita, quam vita? Pro certo deberetur, nisi ipsam Dii Philosophiam tribuissent.* De posteriori *Epist. XC. Philosophiam alii studium virtutis esse dixerunt; alii studium corrigende mentis,*

TH. VI.

Diximus autem, à præsupposito Biblico perfectiorem hujus notitiæ gradum in Philosophia Christiana dependere. Nam cum hæc eo, quòd sit Christiana, non desinat esse Philosophia, theses suas è lumine omninò Naturæ depromit ac confirmat; hypothes tamen suas aut præsupposita à S. Scriptura, utili non minus quàm laudabili audacia, mutuari solet.

TH. VII.

Enimverò è thesibus etiàm suis non paucas in ea extare videt, quales sunt in Philosophia Theoretica illæ: Deus existit, Deus est bonus, sapiens, infinitus &c. E Practicâ hæ: Latrocinium, adulterium, furtum non est committendum; innumeræq; ex utraque Philosophia alix. Has tamen theses suo etiàm è principio novit; unde communes vulgo appellari consueverunt: hypotheses autem illas, de quibus modo diximus, à sola Scriptura mutuò accipit; hinc Biblicæ nobis dicuntur.

TH. IIX.

Qua ratione intelligitur facilè, quàm improprie accipiatur Philosophia Christiana subinde à Patribus, nomine hoc insignientibus Theologiam aut fidem & Religionem Christianam ipsam. Clarius ex illis pleniusque nemo *Gregorio Nazianzeno*, qui circiter in medio Apologetici pro fuga sua in Pontum, interpretè *Biblio*: *Mibi quidem*, inquit, *res minimè vulgaris parviq; spiritus esse videtur, verbi, perinde ac tritici mensuram tempestivè cuiq; dare, & dogmatum nostrorum veritatem cum judicio dispensare: Hoc est, ea omnia, quæ Sacra aut (Christiana) Philosophia de mundis vel de mundo disseruit, de materia, de mente & intelligentibus naturis tam melioribus quàm deterioribus, de providentia omnia constringente atque gubernante, tum quæ modo rationi consentaneo evenire videntur, tum quæ modo terrena atque humana rationi repugnante acciderent videntur: Quæ de prima nostra constitutione & postrema restitutione: de typis & veritate ac testamentis: de Christi adventu tam primo ac secundo, de incarnatione & cruciatibus & reversione, de resurrectione, de fine, de judiciò ac retributione tam tristiore quàm splendidore: Et quòd caput est, quacunque de principe ac beata Trinitate credenda sunt.*

Uti

Ubi vides, plerasq̄ harum assertionum esse tantum de fide, ideoque non communes, sed soli Theologiæ revelatæ proprias; quam proinde per Christianam Philosophiam intellexit.

TH. IX.

Impropriè quoque hæc vox sumitur, quando Philosophia, quæ in homine Christiano est, ab eo Christiana dicitur, eum in modum, quo milites Christianos, mercatores Christianos &c. sæpius in ore habemus. Sicut enim militi ac mercatori, ita in hoc casu Philosopho accidit, esse Christianum; nihil verò inde ipsa Philosophia lucratur. Valet hoc etiam reciprocè; Nam Christiano quoque accidit esse Philosophum, dudumque fuit, quod *Aristides Atheniensis Philosophus eloquentissimus, sub pristino habitu discipulus Christi exiit, & Justinus Philosophus habitu quoque, Philosophorum inter Christianos incesit; apud Hieronymum, in Catal. Scripturum Ecclesiæ cap. 31. & 34.* Tantum abest, ut Christiani facti desiderint esse Philosophi, aut desuisse voluerint videri.

TH. X.

Brevissimè Scholæ Stylo hæc omnia κατ' ἀρσιν καὶ κατὰ θεόν sic expresseris. κατ' ἀρσιν: Philosophia Christiana non sic dicitur *ratione objecti*, quasi de Christo & similibus mysteriis agat; nec *respectu subiecti*, quod nonnunquam in Christiano existat; sed κατὰ θεόν, *partim*, quod theses suas non paucas in principio fidei Christianæ, quod sola Sacra Scriptura est, extare novit; *partim*, quod hypotheses quàmplures mutuatur inde, suisque thesibus substernit.

TH. XI.

Magna verò est perfectio, quam præ Philosophia, quæ vel sibi relicta est, vel in gentili homine datur, utroque modo accipit. *Priori* enim theses suas cum thesibus Spiritus S. conferre, de quibus earum veritate, siquidem cum his convenient, prorsus secunda esse potest. *Posteriori*, hypothēsibus certissimis, postquam Spiritus S. eas ipsi subministravit, theses verissimas superstruere potest; Nititur enim utrobique primo illo principio naturâ sibi noto: *Quicquid prima veritas dicit, illud est verissimum, & consequenter absq̄ bastatione statim assumendum.*

TH. XII.

Hinc sequitur sponte, nihil in Christiana Philosophia afferendum aut negandum, nihil fingendum aut si ab aliis factum sit, admittendum esse, cujus contrarium Spiritus S. revelavit. Imò hinc etiam sequitur, non licitum esse dubitare de eo, ullo modo, quod in Scriptura est revelatum, cum prima veritas primo statim momento, quo innotescit, omne non minus dubium removeat, quam consensum plenissimum requirat. Estque adeò hic canon tantæ dignationis & efficaciz, ut eum jure meritoque primum & primum vocemus. Valet etiam tam de hypothetibus, quam thesibus, propter rationem communem, quâ quod prima veritas dixit, solum est & manet verissimum.

TH. XIII.

De figmentis verò non minus ac de assertionibus & negationibus expresse diximus, *illud non esse admittendum, cujus contrarium Spiritus S. revelaverit.* Absque hoc si fuerit, & cætera sint paria, licet Tibi fingere impunè. Unde intelligis, fictiones Jctorum non magis quàm Christianorum Poetarum h. e. nullo modo nobis opponi posse; neutrum enim sunt contra revelationem Spiritus S. Multò minus hypotheticæ propositiones contra nos adduci possunt. Logicus enim e. g. in trita illa: Si asinus volat, asinus habet pennas; non fingit asinum volare aut pennas habere, sed consequentiam tantum ostendit, quæ unum ex altero sequatur.

TH. XIV.

Quandoquidem etiam Canon ille noster è principio primo fluit, secundum *dist. Tb. XI.* non opus est, ut hujusmodi fictiones expresse in S. Scriptura aut Augustana Confessione reliquisque Libris nostris symbolicis prohibeantur. De hoc enim è lumine naturæ, modo rectè attendatur, satis unicuique constat. Quamquam à mendacio non procul abest, qui aliquid veritati revelatæ contrarium fingit. Simplex enim est veritas, imprimis divina; huic itaque quod adversum est, quo nomine veniet, & ubi permissum aut prohibitum erit?

TH. XV.

Nec obstat huic, quam commendamus, fiducia innitendi ver-

verbo divino, quod in illis rebus, quæ ad fidem non spectant, συγκατάβασι adhibeat & cum vulgo nonnunquam loquatur. Aliud enim est, loqui secundum captum vulgi, aliud secundum ejus errores. Prius concedimus; & quidni concedamus? Nam de Deo ipso non pauca in Scriptura ἀνθρωποκενῶς μὴ λόγουται, ἡμετεροῦς διανοήται; stylo *Arbanasi Dial. 1. de S. Trinit.* Tantum abest, ut id in naturalibus nunquam fiat. *Posterius* autem negamus & pernegamus; cum prima veritas nec erret ipsa, nec hominum errores faciat suos, nec repetendo facere videatur.

TH. XVI.

Hæc autem perfectio non tantum intensivè, sed & extensivè in Philosophia Christiana reperitur. Priorem propter sui ipsius certitudinem, posteriorem per objecti amplitudinem habet ac exercet. *De illa* maxime hæctenus egimus. *De hac* notandum est, quod non minor sit totius ambitu Philosophiæ. Non enim facile dabitur aliqua disciplina, quæ ex thesibus suis nonnullas aut aliquam hypothesein suam in S. Scriptura non inveniatur; quod quidem adeo verum est, ut divina hæc liberalitas etiam ad Logicam inter instrumentales Disciplinas extendatur, ejusque apparatus per eam haud parum amplificetur. Hinc Philosophia etiam Christiana, non minus ac vulgaris, partim est Theoretica, partim Practica; & utriusque Logica quoque Christiana ministrat, secundum illud tritum: *Qualis terra, talis pedissequa*: Ὅποια ἡ διακονία, τοιαυτὴ καὶ ἡ ἀρετή.


TH. XVII.

An vero tantæ etiam perfectionis Philosophia existit? An non fingitur ea, subque specioso titulo, Christiana dicta, supponitur à nobis orbique Christiano obtruditur? Absit à me tanta temeritas novæque audacia! Eni enim rationes, quibus illa nititur, æternumque subsistet.

TH. XIX.

Dictum est supra in *Th. 10.* Philosophiam Christianam vel invenire theses sibi cum Theologia communes in Scriptura sacra, vel inde hypotheseis nonnullas thesium suarum petere. Utrumque probamus distinctè.

TH.



TH. XIX.

De thesibus, ut loquuntur, communibus dubium vix esse potest; præsertim postquam nos in *Th. 7.* earum aliquas jam adduximus. Hoc vero modo Philosophiam valde juvari ac confirmari quis dubitet? Testimonia quidem humana, tametsi quantivis videantur esse pretii, non absque ratione nonnunquam rejiciuntur. *Ecquem hominem, inquit Cicero in Orat. pro M. Fonteio, vidimus, ecquem ferè commemorare possumus parem consilio gravitate, constantia, cæteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamentis M. Emilio Scauro fuisse? tamen hujus, cujus injurati natus propè terrarum orbis regebatur, jurati testimonio neg;* in *C. Fimbriam neg;* in *C. Memmium creditum est. Quantus in L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quanta autoritas, quis ignorat? tamen is, cujus etiam sermo testimonii auctoritatem habebat, testimonio ipso, quæ in M. Marcello inimico animo dixit, probare non potuit.* Hi testes tantæ auctoritatis atque fidei, nihilominus rejecti fuerunt *per divinum ac singulare consilium, eodem Cicrone teste.* Quis verò divinum testimonium per humanum consilium absque summa stultitia & injuria repudiabit? Hinc sive causæ ipsius æquitas, sive tortura conscientiæ voces nonnullis Philosophiæ Christianæ hostibus expressit, quibus hoc ejus commodum, haud aliter ac si *αὐτοματῶς* essent, agnoscerent atque faterentur. Ita *Dn. Pufendorfus* tam generaliter in *specim. controvers. cap. 4. §. 12. Erid. Scand. p. 255.* Sanè multa novit Philosophus, qui idem Christianus est, quæ Philosophus non Christianus ignorat. Et paulo post: *Ubi, quæ à Philosopho ope rationis sciuntur, in divinis quoque literis traduntur, ex ea conspiratione tradita philosophica mirè illustrari certum est; Quam speciatim de una ex virtutibus in spicileg. controvers. cap. 2. §. 9. Erid. Scand. p. 369. sanè de beneficentia hætenus tum ex lumine rationis tum eximè ex libris Novi fœderis Christiani cognovimus.*

TH. XX.

Contra hos nihil aliud demonstrandum est, quàm quod Philosophia Christianorum, hoc modo procedens, & Christiana fit & ita dici mereatur. Argumentamur: Quæcunque Philosophia medium Christianum cognoscendi ad majorem, imo infallibilem assertionum suarum certitudinem adhibet, ea ipsa est

est Christiana, & hoc nomine dici meretur. Atqui Philosophia Nostra &c. E. Minorem non negant Adversarii. Majorem vero nemo in dubium vocabit, nisi qui Locum Conjugatorum ignoraverit.

TH. XXI.


Imò verò hanc harmoniam Platonici olim nonnulli, crescente non minus quàm innotescente Christiana Doctrina, fateri coacti fuerunt; gloriam tamen Magistri sui putantes imminui, nisi ad eum referrent omnia, quæ scirent, ac pro veris haberent, Christum inter Plagiarios referre non erubuerunt, imprudenter inceptèq; contententes, eum ex Platonis Libris profecisse; apud *Augustinum Epist. 35. in fine*; cum non incertum sit, Platonem sacros libros legisse, & quæ theses, quæ hypotheses suas non nihil inde transtulisse; quæ de re *Justinus in Paren. Eusebium de preparat. Evangel. L. II.* aliique è Patribus videri possunt.

TH. XXII.

De thesibus itaque liquet satis. Majori verò adhuc jure Christiana, dignaque, quæ ita vocetur, Philosophia Nostra est, quatenus è S. Scriptura hypotheses potest depromere, quæ ad novas plane theses eruendas faciunt; maximo ejus commodo, cum de iis, quamdiu sibi soli relicta fuit, nihil prorsus noverit.

TH. XXIII.

Subjiciamus quasi per compendium, quod ad illustrationem pariter ac probationem faciat, nonnulla exempla. Sic Metaphysica profectò nihil nosset de distinctione reali inter substantiam & essentiam in substantiis creatis singularibus, nisi è Spiritu S. audiisset, in incarnatione Filii Dei substantiam humanæ naturæ realiter ab ea separatam fuisse; de hoc verò certior factus conclusit à separatione reali ad distinctionem realem, firmissimam sibiq; è lumine naturæ notissimam consequentiam. Quæ thesis ejus proinde etiam Philosophica est & manet, tametsi hypothesi Biblica innitatur. Eundem in modum ignoraret, ad principium in genere sufficere prioritatem qualemcunq; tametsi nec tempore nec natura prius sit principiatio suo; nisi exemplum invenisset in S. Scriptura de Patre, qui hoc modo principium est Filii, sic



ut Pater & Filius Spiritus S. quod deinde in præsuppositum vertit, eiq; suã superstruit thesin: *Principium esse, unde aliquid quocunq; modo procedit; apud Thom. 1. qu. 33. art. 1.* Sic in Logica, citra præsuppositum de unione personali, nihil de propositionibus inutilitatis; nihil in Physica de ortu materię, citra hypothesein de concreatione ejus; nihil in Ethica, citra præsuppositum de peccato originis, de profunda corruptione affectuum sciremus. Etc.

TH. XXIV.

Præter has, aliz quoq; hypotheses à Philosophia Christiana è S. Scriptura desumuntur, quæ novas quidem theses non gignunt, genitas tamen, cum infirmæ valde sint ac dubiæ, sustinent solidissime, adeo ut in *τὸ δὲ* earum securè deinde inquirere possit, postquam prius de *τῷ ὄντι* hoc modo plene planeq; certior facta est.

TH. XXV.

Hunc in modum, fontes & flumina è mari, majori fiducia deducit, postquam *τὸ δὲ* Spiritum S. asseruisse audit *Ecclesiast. 1. 7.* De Angelorum officiis tutius differit, postquam illud non in movendis orbibus cœlestibus, sed in ministrando Deo & fidelibus consistere percepit, *Ebr. 1. 14.* Summum bonum in recuperatione bonorum intellectualium & moralium, prout Theoreticum simul atq; Practicum est, indubiè constituit, postquam, per jacturam illorum in lapsu, se olim tantum bonum amisisse intelligit. Ut taceamus alia quæ plura.

TH. XXVI.

Hinc argumentamur iterum: Quæcunq; Philosophia ex assumptis hypotheseibus Christianis partim novas theses, quas prius ignoravit, eruit, partim eas, quas jam novit, clarius firmissq; deducit, ea ipsa est Christiana, & hoc titulo insigniri meretur. Atq; Philosophia Nostra &c E.

TH. XXVII.

Hæc omnia cum clara oppido atq; certa sint, mirum non est, communi propè consensu variarum ætatum sectarumq; diversarum, Philosophiam Christianam semper assertam fuisse.

TH.

TH. XXVIII.

E Patribus jam unum alterumque nominavimus *suprà*; cumque plures ex hoc Venerabili Ordine adicere possumus, solum eligimus *Lactantium*, quem inter Theologos Philosophum, & inter Philosophos Theologum non immerito appellaveris. Tantum autem abest, ut hic Christianam philosophandi methodum non requisiverit, ut studio ejus exciderit ipsi vox, quæ, si minus attentus inter legendum fueris, falsa tibi ac nimis dura possit videri. *Abjicienda*, inquit *L. de falsa sapientia, cap. 16. est omnis Philosophia*. Et paulò post: *Nos Philosophiam tollimus*. Bene verò, quod subjiciat mox: *Sopbiam defendimus, quæ divina traditio est, aut: è traditione divina fundamentum suum desumit*. *Gracienim*, ita pergit paulò inferius, *qui sacras veritatis literas non attigerant, quemadmodum depravata esset sapientia nesciverunt. Es ideo, cum vacare sapientia humanam vitam putarent, Philosophiam commenti sunt, id est, latentem atque ignotam sibi veritatem differendo eruere voluerunt, quod studium per ignorantiam veri sapientiam putaverunt*. Vide eundem tum alibi tum imprimis in hac *de falsa sapientia Libro passim*.

TH. XXIX.

De Scholasticis nullum potest esse dubium, quin hunc philosophandi modum approbaverint plerique, cum eum saltem non omnes adhibuerint ipsi. Hinc solenne illud *Thomas Aquinatis*, quo communiter, Antithesin simul rejecturus, simul Thefin asserturus, incipit: *Sed contra est*; ubi plerumque dictum Scripturæ subjicit; sciens nimirum probè, nihil, quod contrarium sit revelationi, in Philosophia quoque asserendum, omnia ei potius conformanda esse.

TH. XXX.

Recentiores verò Pontificii, videntes horum vestigia aliorumque in imitando studium atque commodum, clarius adhuc subinde Christianum in morem philosophati sunt, adeo quidem, ut à Christiana Philosophia Scriptis suis nomina nonnunquam imposuerint. Pertinet huc Doctissimus *Fromondus*, Autor *Philosophiæ Christianæ de Anima*, in cujus præfatione hanc doctrinam pluribus locis sic Theologia permisceri dicit, ut *his philosophari sine Theologia*

logia non possit, Nisi enim, (ita pergit) Theologia & maxime Sacrarum
 Scripturarum fax aliqua praluceat, quomam quaso per lubrica ista huma-
 narum ratiocinationum & tenebrosa ibimus? Sane, nos perdituros, cum
 antiquis & lusciosis mundi Sapientibus. Nemo vero facile erit,
 qui inter recentiores Pontificios palmam hic præcipiat Caspary
 Manzio, JRo, &, prout salutarè voluit, Philosopho Christiano. Ques-
 tionem hic instituit, inque publicum emisit A. 1648. Utrum da-
 ri possit melior & pietati Christiana conformior modus docendi Philoso-
 phiam, quam sit vulgaris? Affirmavit autem hanc simul ipse, se-
 riò statuens graviterque monens, Philosophiam ita tractandam esse,
 ut non tantum erudiatur intellectus, sed etiam inflammantur affectus, o-
 peras, natura & mirabiles ejus effectus in specie magis declarentur;
 Studiosa juventuti sponis materia contemplandi, à creaturis ad ipsum
 Creatorem ascendendi, & in omnibus, quoad fieri potest, ejus bonitatem,
 sapientiam, potentiam & quæ in singulis ejus operibus elucet, summam
 providentiam cognoscendi; amandi, venerandi, laudumque Divinarum
 predicandarum occasu subministreretur; moralis quaedam præcepta fre-
 quenter inde excerptantur, & sic ad disputandum, meditandum, concio-
 nandum, & ad vitam rectè instituendam unà operâ materia præparetur.
 Quod judicium, postquam vix prodūisset, alius magnæ dignita-
 tis Papista sic excepit: Quod si, inqviens, Angelus de celo descende-
 ret, melius quid dicere vel scribere non posset. Hanc plurimi alii præ-
 stantissimi Viri, Principes, Episcopi, Prælati, Magnates & Doctores plu-
 rimi, Catholici & Acatholici secuti, judicium Manzianum & modum
 ejus philosophandi tot & tantis laudibus & elogiis extulerunt, ut si ea o-
 mnia in unum libellum conscriberentur, sua mole & quantitate ipsum
 judicium longè excederent. Nemo autem prudens in hunc usq, diem
 visus & auditus fuit, qui illud vilipenderet aut contemneret. Magna
 & rar hæc fuit felicitas novelli hujus Philosophiæ Christianæ
 Doctoris, quam ita debuccinat D. Casparus Schmidius, Manzii ex
 sorore Nepos, cum Ludovici Granatensis Philosophiam Christianam
 ederet, in Epistola Dedicatoria A. 1650.

TH. XXXI.

Major apud Calvinianos messis daretur, si è Zancbio, Da-
 neo, Alstedio, Casmanno, Caso aliisque Physicæ, Ethicæ, Cosmopœiæ
 & Uranogaphiæ Christianæ inter eos Doctoribus, testimonia judi-

judiciaq; colligere vellemus. Sed ex his omnibus jam sufficiat, qui reliquis etiam recentior est, *Ludovicus de Beaufort, Parisinus, Med. D. qui in Cosmopœia divina Lugduni Batavorum A. 1656. edita, cordate in dedicatione: Amicus, inquit, certè Plato, amicus Socrates; sed magis amica veritas: Laudandus Aristoteles, laudandus Cartesius, & quicumque operam, labores & studia veritati detegenda contulerint: Sed nulla humana doctrina facile admittenda aut obstinatius retinenda. Et quidem ubi flet S. Scriptura, fas est & sepe conducit, dubitare & assensum suspendere; sed ubi aperse loquitur, captivandus (juxta Apostoli monitum,) intellectus in obsequium fidei, & conceptus humanus S. Scriptura subjiciendus: hæc enim sola certa & infallibilis est, stabile veritatis fundamentum, imò primum principium indemonstrabile, sine quo cætera parum tuta, certa & vera. Et in Prefatione: Pro certo teneas, nullam doctrinam admittendam, quantumvis probabilem & speciem veri præ se ferentem, nisi revelata in scripturis veritati conciliari possit. Est enim humana ratiocinatio fama similis:*

Tam fælli pravis, tenax quàm nuntia veri.

TH. XXXII.

Sufficere hæc possent suffragia, nisi calculum etiam suum è Socinianis spontè adjiceret *Johannes Crellius*, qui non tantum *Ethicam Christianam* conscripsit, sed & *Ethicam Aristotelicam ad sacrarum literarum normam emendavit*, non sine applausu eorum; quorum in gratiam semel iterumq; seorsim, & conjunctim cum reliquis ejus scriptis edita est in *Operibus Socinianorum Tom. IV.*

TH. XXXIII.

Qua verò culpâ dememinimus Nostratum hæcenus, an ipsorum, an nostra? Absit omen; cum & horum non exiguus sit numerus, & nos de ipsorum consensu omnium maxime nobis gratulemur. Ex his de tota Philosophia Christiana optime meritus est *Balibasar Meisæus* in *Philosophia Sobria*, quam alteri, quæ temulenta quali est ex afflatu perverſæ rationis & heterodoxiæ, opposuit. Hunc imitati sunt *Keslerus* in *Examine Logica, Metaph. & Phys. Photiniana*, *Calovius* in *Metaphysica divina*, *Seldius* in *Topica Calviniana* aliique. Præter hos, qui integros libros de Christiana Philosophia scripserunt, alii quæ plurimi sparsim in suis scriptis semina ejus insperferunt, quid? specimina luculenta ediderunt; quos inter merito suo imprimis laudamus *Jacobum Thomæsum*,

Dd 3

gen-

gentilis Philosophiæ scientissimum, Christianæ amantissimum, apud nos, utinam diutius! Professore.

TH. XXXIV.

Quid? quod olim gentiles Philosophi pro captu suo è Theologia non nihil doctrinis suis inspererunt, tanto applausu, ut Theologi quoque appellati fuerint; quales Pythagorici propè omnes. È lumine enim non tantum naturæ sed & gratiæ, conversati cum Syris, ut ait *Laertius*, quod est, Hebræis, aut eorum discipulis, sive familiaribus, quales ad tempus Egypti fuerant, de rebus divinis non pauca cognoscere inque succum & sanguinem vertere facillimè potuerunt.

TH. XXXV.

Quæ omnia si suo, ceu par est, precio æstimentur, multum omnino in probanda Philosophiæ Christianæ existentia valent. Sive enim ad consensum doctorum hominum non paucorum, qui diversas religiones professi sunt, sive ad disciplinas ipsas, quas ediderunt, accuratè respicias, pro illa firmum inde desumi potest argumentum.

TH. XXXVI.

Primum est Topicum, sed magnæ probabilitatis: Quicumque modus tractandi Philosophiam à diversissimarum Religionum scriptoribus, ipsisque olim gentilibus approbatus fuit, ille est bonus. Atqui modus tractandi Philosophiam è præsuppositis Theologicis &c. E. Secundum est Apodicticum à posteriori: Quicumque Philosophia actu datur, illa non est impossibilis. Atqui Philosophia Christiana &c. E. Utramque Minorem in Antecedentibus probavimus; neutram autem Majorem facilè quis in dubium vocabit. Prætereà altero etiam modo argumentari possumus per inductionem à partibus ad totum: Logica, Metaphysica, Physica, Ethica &c. Christiana datur: E. Philosophia Christiana datur. Consequentia iterum est firma; Antecedens autem supra, imprimis in Th. 3. probatum dedimus.

TH. XXXVII.

Cave verò putes, nos Christianam Philosophiam, prout ab heterodoxis tradita est, in se approbare, quando ad consensum eorum atque exemplum hætenùs provocavimus. Utimur saltem ipsorum calculis ad probandam hujus Philosophiæ existentiam

tiam in genere, non ad approbandam unamquamque doctrinam in specie; eum ferme in modum, quo consensu omnium gentium nitimur ad demonstrandam Dei existentiam sine approbatione specialium opinionum, quas non pauci falsissimas de eo foverunt olim, aut adhuc foveant.

TH. XXXVIII.

Hoc monito, fatemur ultro, Pontificios frequenter incidere in *Pseudopropheta*, quæ ex Interpretibus S. scripturæ, traditione, aut aliunde minus circumspectè hauriunt, & tanquam præsupposita Biblica in Philosophia sua Christiana substernunt. Nec dubium est, Philosophiæ Christianæ tam impensè favere non paucos Calvinianos, propter Interesse Religionis suæ, putantes æquum esse, ut Philosophia Theologiam audiat, quemadmodum hæc apud eos subinde illam audire cogitur. Sed quid inde? Tollatur abusus, & maneat usus; quæ separatione præstantissimæ quæque res passim indigent; quamque hoc loco Nostrates in omnibus propemodum disciplinis, in magnum Philosophiæ Christianæ incrementum, passim instituerunt; *vid. supra Tb. 32.*

TH. XXXIX.

Imò verò eò minus desistamus nos nostræ Orthodoxiæ Philosophiam nostram conformare, quò magis illos heterodoxiæ suæ in Philosophia favere videmus. Digna est vox Doctissimi Itolorum nostrò tempore, *Job. Alphonsi Borellii, Neapolitani*, notata & in literas lucemque publicam missa per *Carolus Jo. à Jesu in præfatione*, quam *Borellii L. de motu animalium* præmisit *Roma. Jdibus Augusti A. 1680.* Cum enim in edocenda *Astronomia de systematibus* oriretur sermo: *Quicquid alii dixerint, inquit Borellius, omittendum; Ita sancta docet Ecclesia, ita credendum, idque certum in illius obsequium habendum. Quanto rectius dixerimus nos in nostra Philosophia Christiana: Quicquid alii dixerint, omittendum; Ita S. docet scriptura, ita credendum, idque certum in illius obsequium habendum.*

TH. XL.

Novum autem hinc nascitur argumentum, idque quò magis proprium nobis, eo minus negligendum: Quicquidque modus tractandi Philosophiam propter hæreticos sumè necessarius est, ille omninò est adhibendus; Atque modus tractandi Philosophiam Christianam & orthodoxa methodo &c. E. Tantum!

VII.

PROGRAMMA
De
PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ
EXISTENTIA ET ES-
SENTIA IN GENERE,
REFELLENS BREVITER ANTITHESIN;
Propositum publicè 29. Januar. A.
MDCLXXX.

Inter eos, qui reflorescentibus superiori seculo literis curam Latinæ Lingvæ in se suscipiebant, nobile nomen erat Ciceronianorum. Secta, prorsus ad libertatem, quæ in loquendo adhiberi potest, rudis; tamen eam mores horum temporum sæpius requirerent, Religio quoque a) nonnullibi indulgeret. Ita enim à Cicerone, post titulum suum, dictiones formulasque loquendi mutuabantur, ut sine eo loqui erubescerent; cum eo loquentes, violentissimas torsiones inter elegantias haud postremo loco referrent. Qui verò usui vocabulorum Tyranno parere, quam simias has imitari, prudenter malebant; barbari dicebantur ipsis aut infantes, qui latinè loqui nescirent; tamen Ciceronem omnibus modis, per assimilationem oris similesque blanditias, decenter conciliarent sibi, aut, ubi deficere ab eo necesse habebant, Ecclesiæ Christianæ lingua uterentur, niterentur. Quid verò cordatiores ex his ad illos? De Ciceronianis, inquit Camerari-

a) *Lipsius de Bembo Centur. II. Epist. 57.* Fides nostra non nisi per persuasio illi est; Excommunicatio, aqua & igni interdictio; peccata morituro remittere, Deos superos manesque illi placare. &c. De Longolo aliisque alii passim.

us Noster b) ad Baumgartnerum, Senatorem Noricum, quod scribis, riderem, si res & negotium ullum visum admitteret. Consolari autem me potest hac in parte exemplum c) Justinii Martyris, quem ipsum quoque invidia ac odio concitatus Cynicus Crescens, praestantiorum se Philosophum, deferendo nomen ejus, quod Christianus esset, ita oppressit, ipse aliis omnibus rebus inferior. Quin idem hoc nostro tempore, quò eadem, mutata non multum scena, fabula luditur, dicturus sit, si viveret, Vir summus, vix audeo dubitare. Postquam nimirum Pax inter Christianismum & Ciceronianismum inita est hac lege, ut liceat ex illo novas subinde dictiones desumere, rebusque, quas gentilis Orator penitus ignoravit, aptare: bellum indicitur Philosophiae Christianae, inque privilegium ejus, quò datum est ipsi prae Philosophia Gentili cognoscere non pauca & dijudicare, vis longè maxima inferitur. Raptum hunc, cum in res pretiosissimas committatur, non potest ferre ille, qui jacturam vocum quarundam Christianarum cum Camerario Nostro debite aestimat vindicatque. Ego quidem, quod aperte publiceque fateor, doleo vehementer, esse, qui dignitatem Sapientiae humanae, si à divina pendeat in nonnullis aliis sibi prorsus ignotis, imminui arbitrantur. Philosophia quidem suò metitur modulo cuncta, quando nimirum τὸ δῖόν rerum, cur ita sint, studio sibi proprio accuratè investigat; nec aliò quàm Naturae lumine tunc utitur. τὸ δῖόν verò, quod ita sint, si à teste omni exceptione majori, qui solus est DEUS, percipere potest, jure meritoque gratulatur sibi valdè, indeque Christianam se dici, nisi vesana malit esse, gloriatur. Digna res est pleniori deductione, quam in honorem Dei publicumque commodum aliò tempore haud inviti prolixè instituamus. Sufficiat jam, breviter inquirere in ea, quae adversus optimam hanc, quod est, Christianam Philosophiam ejusque defensores Nos, in vicinia non-nemo d) machinatur. Haec enim cum praeter odium in scientiam nostram


E e

vix

b) In Volum. I. Epistolarum famil. L. 3. pag. 310.

c) Vide Justin. in Apolog. pro Christian. I. Euseb. Ecclesiast. Histor. Lib. IV. cap. 16. Nicephor. Ecclesiast. Histor. Lib. III cap. 32.

d) Cl. Dr. Strinnesius, Prof. Francofurti, in Programm. de confusione Theolo-



vix quidquam discussione dignum contineant, non minus in hac chartæ angustia facile perlostrari possunt, quam rectè ordineque, priusquam ad rem ipsam accedamus, hic retundi debent. Primum vulnus suomet intentat nobis gladio; *Quasi* verò, inq̄uens e) *Ratio in Christiano atque Ethnico non eadem idemque ex Ratione aliquid demonstrandi modus sit, ut necesse habeas, Philosophiam aliam Christianam, aliam Ethnicam vocicare.* Sed hunc ictum jam declinavimus, modum demonstrandi sive *Tò dion* vindicantes Philosophiæ, postquam *Tò ðn* nonnullarum rerum ex ore Dei percepit. Videas hoc pacto, Physicæ Christianum descudare in fontibus fluminibusque è mari derivandis, ut nimirum ostendat, quò modò in altissimis montibus, quâ ratione in remotissimis Regionibus ex hydrophylacio falso aqua promanare possit dulcis; postquam audit è Spiritu S. f) *gentium* hunc illarum scaturiginum esse ortum. Hâc viâ dissipantur simul vapores, è quibus Aristoteles, gentilis Philosophus, & qui ex Christianis cum ipso faciunt, hujusmodi aquas nasci arbitrantur. Nec ad hoc faciendum Christiano opus est alia Ratione. Cum enim hæc potens sit ad inquirendum in *Tò dion*, post relationem humanam de *Tò ðn*; cur post revelationem ejus divinam ad idem officium impotens sit aut inepta? Sed parvulam mox abjicit Antagonista; in arenam adducens alium, qui suò locò. pertendat pugnam finiatque. Is est aut esse debet Celebratiss: *Walferus*, Pastor & Professor Noricus, g.) *cujus tela longè alio directâ, frustra in nos torquet. Primum autem & secundum agmen, quod sub hoc Duce contra nos educitur, jocando quasi ferit. Cur non, inquit, simili ratione calcem aliquem facimus Christianum, aliquem gentilem; quia hic à Gentili, ille à Christiano confectus est? Cur non vestem aliam Christianam, aliam Gentilem? Cur non malleum, acum, forcipem, scammum, corium,*

lanam,
giam Philosophiæ, ut parricidè vulgato contra me D. Val. Alberti.
 Reliqua, quæ ibi contra meum Specimen vindictarum disputat, non sunt hujus loci nec temporis.

e) d. l. A. 4.

f) Ecclesiast. I. 7.

g) In Exercitatione de Physica Christiana Norimbergæ A. 1656. edita. pag. 9.

lanam, lignum, ferrum aliud Christianum, aliud Gentile appellare libet? Et quid non? In tibernam ingredi librariam, & papyrus Christianum pasco, ne, cum Christianus sis, Gentili papyro, maculeris. Tu sitiens, cum, Christianam bibas Cercvissam & vinum Christianum: Et esuriens, panem nanciscaris Christianum, ne inquineris Gentili. Tu pro-pola, casios Christianos & butyrum Christianum inter Christianos vende, apage sis Gentiles, ne quidquam, quod non sit Christianum, inter eosdem reperiat. Tu cum Christianus sis, projice argentum & aurum Indicum & Arabicum; à Gentilibus enim ad nos decedum nostri. Conspexi fulgur, sed ex pelvi, Physica enim Christiana, quam præ aliis disciplinis impugnat Wulfferus, non est illa, quam nos defendimus. Discrimen nimirum inter Ethnicam & Christianam Philosophiam peti illi, ut Scholæ stylo utamur, unice videtur à causa per accidens ratione subjecti, ita, ut qui philosophatur, Christianus quidem sit, nihil autem ex Christiani, sino ad hunc actum conferat; sicut sutor aut sartor aliquis est quidem Christianus, sed, ut talis, calceos aut vestes non confuit; quod deinde per hos artifices è trivio reliquumque apparatus satis lepidum evertit. Abstet, ut tam lubrico fundamento Philosophia Christiana nitatur apud Nos. Christianus, tanquam Christianus, necesse est hic se gerat, & quod de rebus ad suum fori spectantibus in S. Scriptura invenit, prudenter excerpit; præsupposita verò hujus revelationis veritate, ratiocinando tendat plus ultra. Quid verò tum? (ita pergere jubet Wulfferus, h) Adversarius:) Alia igitur est Physica Christiana; Alia Gentilis? Ita autem eodem medio concludam, aliam esse Astronomiam Christianam, aliam Gentilem; aliam Mechanicam Christianam, aliam Gentilem; aliam Artem Musicam Christianam, aliam Gentilem; aliam Medicinam Christianam, aliam Gentilem &c. Festina lentè; verba enim Parastatæ Tui abrumpis nimis citò. Hæc si plenius adducantur, alio iterum, nobis illæsis, spectant. Etenim quod Sol aliquando, inquit Wulfferus, i) per integrum diem steterit: quod decem gradus retrò cesserit: quod tempore plenilunii eclipsin passus sit: quod stella præter naturam insolita apparuerit, tempore natiuitatis Christi: quod eadem tempore aduentus ejus ad extremum judicium, de celo sint delapsura &c.

E e 2

omnis

h) In alleg. exercitat. p. 11.

i) Ibid. pag. 12.



omnis ratio ignorat. Ita Deum ipsum aliquando artis mechanicae praecepta quaedam docuisse, in exadificanda arca Noachi, in construendo tabernaculo, temploq; qua ratio assequi potest? Eadem verò ratione & ars Musica Christiana, alia fuerit à Gentili & Ethnica, quia Christiani id etiam norant: S. Angelos Deo ἰερουργῶν cecinisse, & in nativitate Christi altâ voce gloriam ejus decantasse, & beatos, in aeterna vita, plenis buccis, Deo praeterea daturus esse &c. Imo & Scriptura luculentius docet, unde herbâ vim suam acceperint, quâ Medici utuntur in persanandis hominum morbis; unde ipsum medicina subiectum, homo, ortum duxerit. Quid verò tum? Quis enim non videt, hæc omnia ita comparata esse, ut à Christiano quidem cognoscantur, sed in disciplinis illis, quæ allegantur, nulli usui esse possint. Audiat Physicus miracula de quiete Solis &c. num in modum, quò patrata illa sint, inquirere audebit? Legat Mechanicus de speciminibus Architectonicæ divinæ; num Ratio, quæ, fatente Wülffero, illa assequi non potest, examen eorum absque temeritate suscipiet? Τερωγῶν Angelorum, similiaque verè ἀπὸ τῆς quid ad Harmonicam humanam? quid ad Botanicam notitia de prima herbarum existentia, qui securus de hac, cum h. l. prorsus sit otiosa, vires illarum investigat? Sed profigatis his duobus levioris armaturæ militibus, sequuntur Triarii, robur hostis, in quibus spes ejus omnis est reposita. Solidam enim k) hujusmodi Auctores refellendi rationem, in qua & nobis hac vice acquiescendam erit, § 19. præclare tradit (Wülfferus; l.) ita objectioni jam tum commemorata occurrens: At, inquit, ex te quæro, unde Christiani plus norant? an ex Natura hoc ordine & Rerum naturalium causis, effectibus, proprietatibus, quas Sanctum Numen cuilibet agenti Naturali concessit &c. an verò ex speciali Revelatione innotescit? Hoc postremum certè pataverrim. At suum esse officium Theologi ajunt, dicto modo de hujus Universi constitutione disputare, quippe quod Fidei Articulus sit, nec ex illa communi seu generali Revelatione depromi possit; Sed ex altera eminentiori, quam per Prophetas & Apostolos fieri voluit. Rectè! Cur ergo CREDIBILIA, ut vocant, SCIBILIBUS miscbimus? Cur distinctas Disciplinas Modosq; considerandi distinctos in: er se confundemus? Cur, quod ad Theo-

k) Du. Strimesf. d. l.

l) alleg. l. pag. 10.

Theologiam spectat, in Disciplinas trahemus Philosophicas? &c.
 *Απεγοδιόνουον; quando hoc objicitur Nobis. Cautè nimirum
 Distingvimus nos ipsi inter ea quæ creduntur & sciuntur; *illa*
 Revelationi in Theologia, *hæc* Rationi in Philosophia adscriben-
 tes. Sciendum tamen etiam est, *alia* in Philosophia per modum
 thesium poni, *alia* per modum hypothesium præsupponi. Ad
illas formandas firmandasq; cum sola Ratio jus habeat in Sci-
 entiis humanis; nihil obstat, quo minus has suggerere possit
 Revelatio xq; ac Relatio cujuscunq; idonei testis. Qvi enim
 demonstrationem instituitus de rebus naturalibus à nauta e. c.
 descriptis; cur super iisdem à Deo ipso revelatis, *discvire*, &
 hujusmodi Philosophiam, ab hypothefibus Christianis, Chri-
 stianam appellare, vereamur? Jus nostrum, ceu spero, ex pau-
 cis hisce jam liqvet: Adversarius autem *Wülfferum*; Doctissi-
 mum Virum meoq; fidei Consanguineum, non opponat mihi
 sed *Lamberto Danao*, suæ scilicet factionis Scriptori, quem illi sibi
 sumpsit impugnandum; aut aliis armis, quibus feriri videatur
 sententia mea, utatur, memor illius triti: Duo cum faci-
 unt idem non est idem.



VIII,
DELINEATIO
SUMMI BONI
HUMANI.

Secundum hypothefia
PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ;
Ad difputandum
Exhibita 24. Januar. A. MDCLXXXIII.

PREFATIO
PRÆSIDIS AD RESPONDENTEM,
FRIDERICUM SCULTETUM,
Lipfienfem, hodie Philofophiæ Magiftrum
& Ecclefiæ Goffenfis Paflorem.



Vod elegantium in civili vita hominum proprium eft, ut tempus, quod omnium primum effe, verè dixit Comicus, ante omnia obfervent adque ejus rationem fe fuasque conforment actiones; id ad Te quoque, SCULTETE Ornatiflime, tanquam elegantis ingenii Juvenem pertinere, jam ipfo facto Tuo publice comprobafli. En enim, quam aptum commodumque elegeris tempus ad fpecimen tuum Academicum luci publicæ hodie exponendum! Agit illud de SUMMO BONO hominis e Philofophia; quando die ftatim craftino haud vulgare bonum humanum, in Cathedra Philofo-

lophica, titulus nimirum & jus Doctoratus Philosophici, jure meritoque Tibi conferetur. E Philosophia vero Christiana Summum illud Bonum Tuum pie non minus quam docte deduxisti; quasi memor fuisses diei illius auspiciatissimi, qui in proxime secuturam cadet hebdomadem, Teque olim inter eos, qui CHRISTO nomen in Baptismo dant, solenniter recepit. Erit ille tertius Februarii; cujus & ego haud immerito memini, quippe quod testis Novitio Tibi Christiano tum adstiterim, Teque haecenus, quantum in me fuit, non ad aliam quam vere Christianam Philosophiam tam exemplo quam doctrina mea perduxerim. Ago vero DEO gratias ingentes, quod prompte secutus sis me praeeuntem, adeo quidem, ut hodie una mecum cathedram ascenderetur, rumque specimen progressionum solenne non absque applausu dare possis. Ita enim id comparatum, ita elaboratum est, ut cum e mediotullio, aut cum de res summa agat, ex ipso fastigio Christianae Philosophiae sit depromptum, inque duobus capitibus existentia ejus & essentia distincte deducatur, nauseam non possit movere ulli, nisi cui Christiana Philosophia bonaque methodus, res in se dulcissimae saluberrimaeque, non fuerint ad palatum. Quid inde ominer, Mi SCULTETE Charissime, quam quod vere Christianum Theologum, non minus ac vere Christianum Philosophum, suo tempore in Te simus habituri; quando nimirum reddes nobis Proavum Tuum, B. Martinum Bohemum, Theologum Homileticum Celebratissimum. Faxit autem DEUS in omnibus: Feliciter!



I.N.

J. N. J. A.
CAPVT PRIMVM,

De τῷ ὄτι.

Thes. I.



Dari Summum quoddam Bonum, certum quidem in hoc generali loquendi modo est, sed & obscurum, qualem Ens per illud intelligatur; item, quo jure ac titulo in tanto fastigio collocetur. Nos itaque sic magis distinctè.

Th. II.

Summum Bonum vel est tale simpliciter vel in certo tantum genere. Illud nullam, hoc unam aut alteram patitur exceptionem aut limitationem.

Th. III.

Summum B.
(1.) simpliciter
tale.

Summum Bonum simpliciter tale, est DEUS; qui hoc predicatum haud aliter ac alia similia, quando e.g. Ens simpliciter necessarium, simplex simpliciter &c. dicitur, gerit sine omni conditione, aut restrictione.

Th. IV.

Probè tamen observandum est, quòd ad hoc culmen bonorum duplici ascendam scalâ, theoreticâ primum, deinde practicâ. In illa investigo DEUM præcisè sub notione Boni; & ascendens à bonitate creaturarum per plures variosque gradus, in eo, tanquam Optimo, jure meritoque acquiesco. In hac considero eundem sub ratione Finis; vidensque, omnia propter ipsum olim facta hodieque adhuc facienda esse, pro fine ultimo aut supremo eum habeo.

Th. V.

In prima scala pervenio ad principium per se notum, in quo proinde omnes consentiunt. Verè enim *Boetius III. de Consol. Philos. DEUM, rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum.*

Th. VI.

In secunda verò cespitat valdè labiturque sæpius homo corruptus. Hinc graviter adversus Philosophos *Laërtius in Epi-*

Epitome cap. 10. Cuncta, inqviens, propter hominem DEUS fecit; quia usus hominum cuncta cessere. Rectè ergò hoc viderunt Philosophi; sed illud, quod sequitur, non viderunt, quod ipsum hominem propter se fecerit. Erat enim consequens, & necessarium, & pium; ut cum hominis causa tantam operam molitus sit; cum tantum illi honoris, tantum potestatis tribueris, ut dominetur mundo; homo agnosceret dominum, tantorum beneficiorum auctorem, qui fecit mundum propter ipsum; & ei cultum & honorem debitum redderet.

TH. VII.

Cum autem propter DEUM ita omnia sint facta & adhuc debeant fieri, ut gloria ejus celebretur; hæc quoque finis simpliciter ultimus vulgò dicitur; sed cujus, sicut DEUS, cui.

TH. VIII.

Finis cui aliàs is est, qui vel Subjectum est finis cujus, sicut Studiosus eruditionis, postquam est acquisita, aut homo hætenus & grotus sanitatis, quando illa est recipienda; vel est terminus, ad quem finis cujus dirigitur atque tendit; quem in modum homo finis hujus universi dicitur. Quod si applicatio ad quæratè fieri debeat, DEUS est finis cui, per modum subjecti, respectu gloriæ suæ; & respectu creaturarum actionumque, quæ ab his fieri debent, per modum termini ad quem; cum gloriæ quidem suam, *ὁ θεὸς ἑαυτοῦ* loquendo, recipiat quasi, meta verò creaturarum in omnibus sit aut esse debeat.

TH. IX.


Hinc autem novus nascitur titulus, ut hi duo fines simpliciter tales etiam vocentur communissimi. Nam in genere propter DEUM ejusque gloriæ omnes omninò creaturæ, uti sunt ita quoque operari debent; tametsi in specie ab intelligentibus id formaliter, à non intelligentibus materialiter tantum fiat.

TH. X.

Præter hæc Summa Bona, communissima nimirum & simpliciter talia, datur etiam proprium & in certo genere tale, & quidem propriè in creaturis intelligentibus, quibus solis facultas competit unum bonum subordinandi alteri, & ex iis hoc aut illud, sub formali ratione boni supremi, unice appetendi. Inanimata quidem & insensitiva videas, appetitu naturali, stu-

F f

dere



clere *καθόλου* conservationi suæ; bruta præterea ferri etiam in bona jucunda observes; veruntamen cum subordinatio non sit sine ratione, & sine subordinatione non possis pervenire ab uno bono ad alterum, facile patet, quod multò minus ad summum quoddam bonum liceat his eniti.

TH. XI.

Soli itaque supersunt Angeli atque homines; & ex illis quidem soli Boni, qui in suo genere Summum bonum sibi proprium obtinere possunt. Mali verò non possunt, nisi malum, velle; tantum abest, ut summum expetant Bonum.

TH. XII.

Bonorum Angelorum unicus, isque perpetuò felicissimus est status, in quo non aliud invenias bonum superius visione continuâ DEI, celebratâ ab ipso Servatore *Matt. XVIII. 10.* non otiosâ, sed officiosâ, in primis dum occupantur in laudando Numine, *Es. VI. 3.*

TH. XIII.

Alia verò, quoad hoc, hominum est conditio. Qui enim jam in via sumus, erimus aliquando in patria, alioque in hac, quàm in illa, Summo Bono proprio fruemur.

TH. XIV.

In altera vita participes siemus Summi Boni Angelici: sive illud Visionem beatificam specialiter cum Scholasticis & Theologis, sive vitam æternam generaliter cum *Augustino L. XIX. de Civitate DEI cap. 4. sub init. voces*: modo specialissimè non audeas determinare, quod tamen oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non venit, *1. Cor. II. 9.*

TH. XV.

Præterea in hac etiam vita Summum quoddam hominis Bonum datur, cujus essentiam mox in capite seq. delineabimus, si non exprimemus; jam verò, qui scopus hujus capituli primi est, ostendemus tantum, quàm felicior sit in existentia ejus probanda Philosophia Christiana quàm gentilis, aut si abstractè consideretur.

TH. XVI.

Philosophia nimirum, quamdiu sibi est relicta, opus hinc habet ambagibus, & cum nominare possit neminem, in quo
Sum.

✱ ✱ ✱

Summum Bonum sit aut fuerit; vel consensum urget Sapientum, qui non possit esse absurdus, vel subordinationem bonorum, quæ sit absurda, si sit infinita. Vide Ethicos communiter.

TH. XVII.

Prior argumentandi modus manifestè est Topicus tantum, quantum etiam sit numerus eorum, qui unquam statuerunt, esse Summum quoddam Bonum; quem etiam valorem, & quidem in excellentissimo gradu, hoc quidem in genere, lubentes ei relinquimus. Posterior verò est indirectus, redigens nimirum dissentientem ad impossibile aut absurdum, sicque à nolente volente magis extorquens quam impetrans calculum.

TH. XVIII.

Longè verò felicior est Philosophia Christiana, quæ jure suo utens, mutuatur è S. Scriptura notitiam h. l. de Statu Integritatis, eaque tanquam hypothese utitur. In illo nimirum Protoplastum plenissimè Summum Bonum possedisse videt; Eundem jacturam ejus fecisse quidem audit, recuperationem tamen nobis non omnino impossibilem esse, simul intelligit. Hinc argumentatur deinde in suo foro: Quodcumque bonum amissum quidem est, actu tamen olim extitit, hodieque quadantenus recuperari potest, ejus existentia simpliciter non est neganda. Atqui Summum Bonum hujus vitæ &c. E.

TH. XIX.

Notanter autem dicimus: Simpliciter non est neganda. Nam hîc novam habet prærogativam Philosophia Christiana in cognoscendo hujus existentie modo atque gradu. Hæc enim, alterò nimirum oculò ad suum illud præsuppositum directò, mox ulterius animadvertit, nos hodiè Summum Bonum obtinere quidem nostro modulo, paria vero cum homine integro facere non posse. Hinc distinctiones ejus: (1.) inter statum rectum & corruptum; (2.) inter intentionem simpliciter & secundum quid efficacem; & (3.) inter consecutionem perfectam & imperfectam. Inde mox assertiones ejusdem; Prima: Summum nostrum Bonum in statu recto extitit secundum intentionem simpliciter efficacem & consecutionem perfectam.



Secunda: Idem in corrupto datur quoad intentionem secundum quid efficacem & consecutionem imperfectam; sicut id plenius mox deducetur.

CAPUT SECUNDUM,

De τῷ τί ἦν ἐν αὐτῷ.

TH. I.

Verissimum hęc est, quod vulgò dicitur: **Qui bene distingvit, bene docet.** Si enim **Summum Bonum hominis**, quod in hac vita intentione secundum quid efficaci expeti, imperfectèqve obtineri potest, in duas, cęū par est, species distingvamus; una per alteram declarari imò probari potest; præsertim in Christiana Philosophia, cujus hęc distinctio est propria.

TH. II.

Summum nimirum bonum hominis in hac vita vel est Theologicum, vel Philosophicum. Hoc in suo foro Philosophia, ut talis, invenit; illud, in quantum est Christiana, mutuatur à Theologia, non ut directè illud tractet, sed obliquè tantum, ad meliorem Summi sui Boni cognitionem, adhibeat.

TH. III.

I.
Declaratio Eff.
sentie.

Summum Bonum Theologicum consistit in recuperatione imaginis divinę aut status integri, quoad spiritualia bona, quę erant sanctitas & justitia concreata, per lapsum Protoplastorum in totum amissa. Audiens hoc ex Theologo Philosophus Christianus, simulque percipiens, ad statum etiam integrum pertinuisse moralia & intellectualia bona, quę similiter sint perditæ; cogitat, an hęc ad suam fortè Sphæram spectent, in quę ea quoad antenus recuperari possint. Enimverò, ad recuperationem bonorum spiritualium vires requiri supernaturales, Theologo facilè credit, indeqve bonum illud verè Theologicum esse meritoqve ita dici, agnoscit; in recuperandis tamen bonis moralibus & intellectualibus vires naturales non planè nullas

nullas esse, tùm in scrutinio naturæ corruptæ experitur ipse, tùm ex orthodoxo Theologo etiam discit; atque hinc tale bonum naturâ suâ Philosophicum esse, jureque sic vocari, animadvertit. Statim autem ut vidit, se posse quadantenus hoc bonum viribus suis recuperare, simul agnoscit, se illud quoque facere debere; non tantùm, quod naturâ unicuique commendata sit perfectio & redintegratio statûs sui, sed etiam, quod in Christiana Philosophia valeat consequentia à necessaria recuperatione in spiritualibus, ad necessariam recuperationem in intellectualibus & moralibus bonis. Ulteriùs, dum ex Theologo audit, in recuperatione bonorum spiritualium consistere Summum Bonum Theologicum hominis in hac vita; concludit, etiam in recuperatione bonorum intellectualium & moralium Summum ejusdem Bonum Philosophicum collocandum esse. Id enim est summum, quod transcendere, non possum. Atqui in utroque foro, tam Theologico quàm Philosophico hæc duo bona, in hac vita, transcendere non possum. E.


TH IV.

Imò verò non tantùm in essentia, sed & existentia Summum Bonum Theologicum & Philosophicum à Christiano Philosopho hæc conferri possunt. Neutrum enim in hac vita perfectè obtinetur, & ne obtineri quidem potest. Theologus id toties fatetur de Suo, quoties ad profunditatem Peccati Originalis respicit, & propter eam, Renovationem in hac vita inchoativè tantùm, in altera verò consummativè dari statuit. Philosophus autem Christianus quæ possit ignorare imperfectionem Sui boni, cum facti sint eam gentiles?

Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est

Qui minimis urgetur *Horat. Sermon. L. 1. Sat. 3.*

Et *Plinius in Panegyrico*: Nemo extitit, cujus virtutes nullò vitiatorum confinio læderentur. Pravitas enim naturæ nostræ neminem latet; Christiano verò Philosopho quæ originem & progressum plene cognita est planèque perfecta. Hinc ejus lachrymæ.



TH. V.

Præterea, si ad essentiam Summi Boni Philosophici revertamur, Christiana Philosophia, postquam semel aditum invenit ad Paradisum, inque hoc hominem vidit integrum, mox aliud invenit argumentum, petiit ab assimilatione cum Deo in hoc genere bonorum; quæ cum propter illum sit eminentissima, non potest non esse summum bonum. Per quodcumque enim in Philosophia ipsi assimilamur Deo, id in Philosophia est Summum Bonum: Atque per recuperationem bonorum intellectualium & moralium &c. E. Neutra præmissa opus habet probatione. Nam & gentilis *Seneca* huic assimilationi tantum jam olim tribuit in *Epist. 96.* ut ad ipsum cultum, ultra imitationem Deorum, requisiverit nihil.

TH. VI.

II.
Divisio.

Quando autem recuperationem hanc tam intellectualium quam moralium bonorum esse dicimus, eo ipso ad subdivisionem Summi Boni Philosophici in Theoreticum & Practicum haud obscure respicimus. Ambæ nimirum facultates rationales in anima hominis integri erant ornatissimæ; quemadmodum post lapsum, eheu, in nobis omnibus conveniunt in deformitate. Intellectus, qui hodiè laborat ignorantia crassissima, scientiis olim instructus erat exquisitissimis: Voluntas, quæ hodiè vitiis immerfa est, olim virtutibus prædita erat exansissim. Utrumque hoc damnum studio Summi Boni Philosophici refarcire conamur; intellectui sua bona, hoc est, scientias, voluntati itidem sua, quod est, virtutes, quantum in nobis est, restituentes.

TH. VII.

Quibus positis & observatis, essentia Summi Boni Philosophici in Christiana Philosophia tam clarè patet, ut facilimè distinctis definitionibus circumscribi ac exprimi possit.

TH. VIII.

III.
Descriptiones.

In genere nimirum Summum Bonum Philosophicum nobis est, complexio bonorum intellectualium & moralium, quæ homo integer olim habuit, & per lapsum amisit; visibus autem naturalibus homo lapsus quædam tenus recuperavit.

IX.

TH. IX.

In specie vero Summum Bonum Philosophicum Theoreticum est, perfectio aut redintegratio intellectus per scientias; Practicum, voluntatis per virtutes morales.

TH. X.

Hinc autem, vel nobis silentibus, constat de commodo, quod à Philosophia Christiana in hac doctrina percipimus. Ple-
nius tamen illud, prout positivè ac remotivè se habet, describere non gravabimur.

TH. XI.

Positivè facit ad sententiam Aristotelis, tum confirmando eam tum perficiendo magis magisque.

TH. XII.

Aristoteles 1. Nicomach. 7. Summum Bonum dicit esse operationem secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta; tam prolixâ verborum benignitate, ut non tantum Summum Bonum Practicum h. l. sed & Theoreticum *Nicomach. X, 7.* subsumere potuerit.

TH. XIII.

In hac sententia Philosophi imprimis duo confirmantur per Christianam Philosophiam; 1.) divisio Summi Boni Philosophici in Theoreticum & Practicum; 2.) formale utriusque, quod ponit in exercitio virtutum. Nam & Philosophia Christiana eandem usurpat divisionem, supra *Tb. 6.* eamque ab ovo è virtutibus nimirum intellectus & voluntatis in statu integritatis, deducit. Deinde in iisdem virtutibus utrumque etiam Summum Bonum Philosophicum constituit; Theoreticum quidem in scientiis, quæ sunt intellectuales, & Practicum in moralibus. *Vid. Tb. eand. hujus cap.* Utinam vitæ perfectionem, quæ in ultimis verbis adjectur, possemus non tantum intensivè (de maturitate ætatis,) & extensivè (de longitudine temporis,) cum Interpretibus, sed & cum Christiana Philosophia idealiter de statu integro accipere! Sic major esset, harum cathedrarum harmonia. Ubi tamen Aristotelica deficit, Christiana eam perficit; quod erat alterum hujus generis commodum, supra *Tb. 11.*

TH. XIV.

IV.
Commodum
in Christ. Philo-
soph.
1.) Positivè.

TH. XIV.

Percipimus autem illud h. l. tripliciter (1.) originem obligationis (2.) Ipsius Summi Boni perfectionem & (3.) finem ejus communissimum cognoscendo in Philosophia Christiana perfectissime.

TH. XV.

Nos nimirum (1.) novimus, omnem omnino hominem obligatum esse ad studium Summi Boni, tanquam decoctorem rei olim concreditæ. Homo enim habuit illud ex gratia Creatoris in se plenissime, culpaque sua perdidit quidem, ita tamen ut viribus naturalibus haud exiguam ejus partem recuperare possit. Hinc obligatio juris strictissimi. Quodcunque enim bonum à superiori mihi concreditum, culpâ verò meâ amissum est, ad ejus recuperationem ego, præsertim si possibilis sit, omnibus modis obligor. Atqui Summum Bonum Philosophicum &c. E. Dicitur verò vix potest, quàm utilis hæc sit observatio in Philosophia Christiana. Possidet quidem illam tantum per modum præsuppositi, mutuò è Theologia petiti; vitamen ejus nihil in tota doctrina de virtutibus tradit aut admittit quod merito bonorum operum ullo modo favere possit; cum recuperatio boni culpâ meâ deperditi non possit esse meritoria novi præmii. Quo modo Christiana Philosophia Theologiam, per quam modò adjuncta fuit, ipsa vicissim juvat.

TH. XVI.

Audimus (2.) Summum Bonum Philosophicum in statu integritatis fuisse in gradu excellentissimo. Quò præsupposito, Philosophia Christiana studium virtutum requirit exquisitissimum; & quidem secundum omnimodam virium naturalium proportionem; quam ob causam nihil valet apud illam vulgata illa Pittaci apud Platonem in Protagora paræmia: *Bonum manere, difficile esse*; potius ipsi, quod alio celebratum est proverbio, placet: *Egrè, sed contigit tamen.*

TH. XVII.

Inprimis autem (3.) urget Christiana Philosophia, respiciens nimirum ad ideam status integri, ut Summo Bono communissimo, Deo ejusque gloriæ Summum Bonum Philosophicum sem-

semper subordinemus ; quâ in scala lapsum Philosophorum jam in *cap. 1. th. 6. à Lactantio* notavimus. Hic verò omnia plana. Ad quemcunqve enim omnes nostræ tendere debent actiones, ad illum multò magis dirigendum est illud nostrum Bonum, quod ejus gratia olim possedimus, & jam ex parte recuperamus. Atqvi ad Deum &c. E.

TH. XVIII.

Hæc verò comoda, quæ positivè à Philosophia Christiana profuere diximus, cum exigua non sint; æqualia tamen si non majora sunt, quæ notivè confert. (1.) Remotivè

TH. XIX.


Magna semper de essentia Summi Boni inter Philosophos dissensio fuit, jamque olim *Varro in L. de Philosophia CCLXXXVIII.* sectas numeravit, non tamen quæ essent, sed esse possent; apud *Augustinum L. de Civ. Dei XIX. cap. 1.* Hæc omnes, & si longè plures essent magisque diversæ, à Christiana Philosophia unico actu prosternuntur. Valet enim: Quæcunqve sententiarum non describit Summum Bonum juxta ideam status integri, tanquam unicè genuinam, illæ sunt falsissimæ. Atqvi reliquæ omnes sententiarum, præter eam, quæ est Christianæ Philosophiæ &c. E. (2) contra Philosophiam gentiliam.

TH. XX.

Viderunt hanc veritatem ex parte Scholastici, quærentes: utrum homo non solum à Deo Autore gratiæ, sed etiam à natura habeat aliquem ultimum finem omnium actionum? Ad quam è Junioribus *Bonaventura Baro, in Apologia Scotistica II. in Libb. Ethicos Aristotelis p. 273. §. 5.* respondet negativè; tametsi cum distinctione inter unum finem specialem, & plures integrantes. *Homo, inquit, in hac vita sibi relictus, non haberet à se illum unum specialem finem, sed plures integrantes, hoc est, ipse non præstitueret sibi illum unum, sed plures partiales. Ratio, quia nullum unum objectum est in hac vita, quo solo satiatur homo, sed plura appetit, & habito uno non quiesceret, sed pergeret ad aliud, v. g. habita voluptate, optat honorem, & præter hunc vult etiam divitias, & cum satiatus est objecto unius sensus, appetit oblectamenta alterius.* Quantò re-

Gg

no-



nostrum specialem admisisset, tametsi eum Philosophia sibi relicta perfectè non noverit; quemadmodum ipse *ibidem* perfectionem beatitudinis supernaturalis, & imperfectionem naturalis haut ineptâ similitudine declarat: *Sic enim, inquit, differt ab illa hac, quam homo sibi præsiteret in hac vita, sicut differt vestis integra, & eodem filo consequenter texta, à paupere & segmentata; nam felicitas nostra tunc esset ex sexcentis particulis coagmentata sicut tunica mendici, in qua futura & segmenta implent hiatus, & integrant vestem, illa autem alia est, quid simplex & integra, velut uno filo ductum.*

TH. X.

Quod verò præstat in genere, ostendendo sententias falsas, Philosophia Christiana; id etiam non omittit facere in specie contra vulgatas opiniones, quas conjunctim examinat *Aristoteles I. Nicom. 4.* Summum Bonum vel in voluptate, vel in honore, vel in divitiis collocantes.

TH. XXII.

Prima ex his si non ab Epicuro, tamen à quibusdam ejus de grege porcis dogmaticè in cathedris, à toto verò illo grege practicè in vita communi defensa fuit & adhuc defenditur. In hunc enim usque diem dantur hujusmodi homines *Φορτικώτατοι*, sicut appellantur ab Aristotele, ineptissimi stolidissimiqve, qui ita vivunt, ac si in voluptate corporis positum sit Summum ipsorum Bonum. Hæc verò sententia, modò ad statum integritatis oblique respicias, statim corrui tota. Inter voluptates enim animi, quas super rebus divinis, & divinitus quasi super rebus naturalibus homo integer percepisset, voluptas corporis exiguum locum infimumqve invenisset; tantum abest, ut supremum occupare potuisset. Status verò corrupti signum est, quòd, observante *Aristotele Nicom. VIII. 12.* nuptialem societatem potius quàm civilem hodiè appetimus, jucunda nimirum quàm honesta bona magis prosequentes, inque illa quærentes. *Φορτίον*, inquit *Lambinus in Comment. ad vocem Φορτικώτατοι Nicom. 1. 4. est onus.* Hoc verò quid in statu integro sibi voluisset? *Φορτίον* verò, ita pergit *Lambinus d. 1. latine commodè vertitur odiosus, insolens, stolidus, pinguis, tardus, vel ex sententia Turnebii,*

nebuli, ineptus. Egregii, scilicet, tituli, qui ad ad hominem integrum non magis quadrassent, quam tenebræ ad meridianum Solem.

TH. XXIII.

Secunda sententia non dogmaticè, sed practicè, asseritur ab ambitiosis; ut scapham nos vocemus scapham, & sicum ficum. *Aristoteli d. I. hujusmodi homines vocantur χαρακτήρες καὶ πρακτικοί; Lessius Jesuita L. I. de S. B. cap. 5. pag. 21. vocat Politicos, eorumque Antesignanum superiori seculo Machiavellum fuisse dicit; fortè, ut Clerum suum hoc errore liberet, cujus tamen Caput, sub servi servorum titulo, longissimè ante Machiavellum super Reges & Imperatores sese extulit. Quid quid verò sit de vitæ genere, cui maximè sit imputanda aut adscribenda ambitio; hæc tamen in omnibus est vitiosa, ideoque à statu integritatis alienissima. Quomodo itaque in eo reperiri, aut objectum ejus summum bonum esse potuisset? præsertim cum nullo modo homo integer suo, sed omni ex parte divino honori studuisset. Multo minùs honores statui corrupto proprii, tantò fastigio digni esse possunt. Quid sunt, inquit *Augustinus L. de catech. rud. cap. 16. honores seculi, nisi typhus, & vanitas, & ruina periculum?* tantum abest, ut idem status integri convenient.*

TH. XXIV.

Tertiam sententiam similiter practicè omni ævo atque loco suam fecerunt homines avari, vitam suam haud aliter ac si in divitiis Summum Bonum positum esset, instituentes. Tamen verò homo integer fuisset omninò dicitissimus, tanquam Dominus hujus universi ab ipso Deo constitutus; has tamen divitias suas nullo modo pro Summo Bono habuisset, sed quoties ad eas deorsum respexisset, sursum statim ad glorificandum Creatorem & benefactorem suum oculum utrumque extulisset, illasque præterea ad Summum Bonum theoreticum, tanquam objectum, retulisset, aut etiam per liberalissimam communicationem in exercitio Summi Boni Practici adhibuisset. Hodie verò *Aristoteli d. I. χρηματιστής* (scilicet *ὡς τῆι τὸ πᾶν*), est *βίσιος*. *Qui enim divitias pro Summo Bono ducit, ille etiam quacunque potest ratione, per fas, per nefas, eas accumulare studet. Quid ergo?*

682

Occa-

Occasione datâ acquirendi, jus omne lucro postponet, vim plurimis inferet; Zuvingerius in b. l. Talia verò quomodo quadrent ad ideam status integri?

TH. XXV.

Dogmaticè verò Stoici, & quidem in speciem fortissimè, pugnant, Summum Bonum constituendo in habitu virtutis. Hic enim non tantum inter bona egregium meretur locum, sed & plenè in nostra est potestate; adeò, ut quod deliteris dixit Cicerò in *Orat. pro Archia, deleatet domi, non impediatur foris, pernoctet nobiscum, peregrinetur, rusticetur*; imò quæ Stoicorum vox erat, à nobis nudis circumferatur ubique, & in ipso Phalaridis tauro inter exquisitissimos cruciatus integer retineatur. Hinc difficultas in eo rejiciendo apud gentiliū sapientes. Sed Christianus Philosophus urget ideam ejus status integritatis desumptam, qui Summum Bonum non ut rem otiosam, qualis est habitus virtutis, sed ut operosam, quæ in ipso actu consistat, ante oculos nobis ponit. Nulla ibi impedimenta, per quæ in statu corrupto non licet semper ab habitu ad actum progredi; hinc per accidens tantum in existentia sua hodiè Summum Bonum privatur actu, quem in essentia, juxta ideam status integri, non minus obtinet quam requirit.

TH. XXVI.

Similiter Plato dogmaticè in Idea, & idearum theoria Summum Bonum posuit; contra quem vide Aristotelem *1. Nicomach. 5.* Idæ verò Platonis sicut in se obscuræ sunt, & interpretibus ejus non minus ac Adversariis crucem fixerunt ingentem: Ita nescimus, annon propius earum Autor quam reliqui gentiles Philosophi, hic ad veritatem Christianæ accesserit Philosophiæ. Sed hac de re suo tempore alibi. Hic sufficit, è Philosophia Christiana constare secundum superius dicta *cap. hujus Tb. 3.* Summum Bonum Philosophicum consistere in conformatione cum idea, & consequenter non in idea aut idearum contemplatione; item, ideam nostram reverà fuisse olim actualem, & ex parte adhuc hodiè actuari posse, indeq; practicam, suâ naturâ, non theoreticam esse; quæ omnia in nostra Christiana Philosophia non minus meridiano Solis jubare sunt clariora quam in Platonica meretenebræ.

Th. XXVII.

TH. XXVII.

Nec tantum has profanorum opiniones castigat autrefellit Christiana nostra Philosophia; sed cum hypothefibus orthodoxæ Theologiæ innitatur, illas etiam rejicit sententias Christianorum Philosophorum, qui heterodoxum habent fundamentum, minimum attentè satis illud nostrum haud observant.

b) Quorundam Christianorum.

TH. XXVIII.

E Calvini asseclis superiori seculo huc referimus Petrum Plateanum, Virum Clarissimum, & in Curia Parisiensi Regionum subsidiarum seu vectigalium Præsidentem primarium, tantè in fide sua constantem, ut inter Martyres à suis referatur. *Hic L. I. de recto usu moralis Philosophiæ cum doctrina Christiana collata c. 16. p. 22.* in virtutis Christianæ seu sinceræ pietatis actionibus, cujus scopus & finis est gloria DEI, Summum Bonum inveniri profitetur. At enim verò quis Summum Bonum Philosophicum & Theologicum hujus vitæ ab eo confundi, non videt? cum nos in Christiana Philosophia discrimen utriusque luculentissimum agnoverimus & tradiderimus supra *Th. 3. hujus cap.*

TH. XXIX.

Crassius aberrat è Pontificiis *Leonardus Lessius, Jesuita, loc. cit.* dignus, qui prolixius à nobis audiatur & refutetur.

TH. XXX.

Thesis ejus est *L. II. cap. 4. p. 105.* beatitudinem nostram sitam esse in clara visione DEI. Error; qui venia non indignus esset, quia confundit saltem Summum Bonum alterius & hujus vitæ; vide supra *cap. 1. Th. 14.* nisi meritum Bonorum Operum involveret, illud AntiChristianismi centrum universalissimum.

TH. XXXI.

Prodit hoc in Antithesi sua *L. I. cap. 7.* ubi primùm *pag. 46.* *Omnes, inquit, gentes, & omnes religiones censent Summum hominis bonum esse premium virtutis & bonam vitam, hominibus à Numine conferendum. Hinc Ethnici à suis Diis felicitatem petebant, & eam præclaris factis & probitate promerendam putabant: statuebantq; illam in campis Elisiis post hanc vitam, vel in stellis. Simili modo de ea sentiunt Turca, Japonese, Chineses, & quotquot immortalitatem animo-*

Gg 3

rum

rum concipiant. Nemo autem ex his omnibus constituit summum bonum in ipsis functionibus virtutum, sed has requirunt ut media & viam ad illud perveniendi. Deinde ib. pag. 49. Omnes artifices aliquid ultra sua artis functionem spectant, cujus causa illam suscipiunt. Idem ergo dicendum de functionibus virtutum, eas non suscipi ob solum bonum & pulchrum, quod in ipsis cernitur; sed referri ulterius ad aliquid aliud quod sit praestantius, & animo maxime expetendum. Est enim singula virtutes non se extendant ultra proprium honesti, quod cuique propositum est, limitem; tamen animus qui illas possidet, & tanquam instrumentis, utitur, eo bono non est contentus, sed ulterius aliquid spectat, sive honor illud sit & gloria apud homines, sive futura felicitatis gaudium à Deo post hanc vitam refundendum. Ita plane est humanum ingenium, & sic natura comparatum, ut in virtutum officiis obeundis aliquid amplius spectet quam pulchrum & bonum ipsarum functionum. Debes ergo esse aliquod aliud bonum, quod affectum potentius ad se trahat, & in virtutum functiones impellat. Tandem clarissime p. 51. His accedit, quod si qui alteri servit, & in gratiam ejus operatur, mercedem ab opere suo distinctam mereatur. Non enim bonum operis sui sibi servat, ut ipse eo fruatur, & sua voluntati in eo obsequatur; sed alterius honori vel commodis impendit, ac proinde justam ab eo praestolatur mercedem. Atqui homo qui ex virtute vitam instituit, ea in re alteri quodammodo servit; nimirum Deo omnis justitiae & veritatis praeceptori ac praesidi. Facit enim illud ut legem divinam custodiat, Dei voluntati pareat, ei que honorem habeat. Ergo debetur ei merces distincta à suo obsequio. Confirmatur; Quia si virtus esset sibi merces sufficiens, nemo ulteriorem expetere deberet. Hoc ipso enim quo ex virtute esset praestitum opus, justam mercedem sui laboris accepisset, & ita ipsi esset satisfactum. Itaque neque militi, qui strenue pugnasset pro Republica, neque famulo, qui fideliter Domino inservisset, nec ulli alteri qui opus juxta virtutis regulam confecisset, ulla alia merces esset persolvenda. Iniquum enim est ultra justam mercedem alia stipendia exigere. Denique absurdum est, & communi hominum judicio repugnans, statuere quempiam beatum, qui tota vita in magnis afflictionibus absque ulla spe futurarum bonorum & gaudiorum versetur, quantumvis ipse virtuti des operam. Hic enim verè miser est & calamitosus: quod confirmat Apostolus 1. Cor. XV.


cùm

*cum ait: Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus: nimirum ratione laborum & afflictionum, quas Apostoli assidue sustinebant. Itaque si nulla esset alia merces, virtus non posset hominem hujus vitæ malis conflictatum, beatum facere: sed ille verè esset miser; imo aliis qui bonis hujus vitæ jucundè & tranquille fruuntur, miserior. Quæ omnia, quæquam paulò prolixiora, consulto adduximus, ut hoc exemplo moneremus studiosam Juventutem non tantum de periculo legentium minùs cautè Pontificios Philosophos, qui talia subinde inspergere consueverunt; sed & de commodo Christianæ Nostræ Philosophiæ, quæ errorem illum ejusque similes facile detegit & repellit. Hæc enim cum audiat à S. Scriptura, Summum Bonum nostrum Præcticum à Deo nobis concreditum fuisse in statu integro, ideoque in corrupto à nobis ex debito *κατάδικον* recuperandum esse, nullum ei meritum adscribere aut relinquere potest. Confer supra cap. hujus Tb. 5.*

Th. XXXII.

Atque sic fecimus, quod *Aristoteles Nicom. I. 8.* postquam ipse Summum Bonum descripserat, aliis indulget, & tantum non imperat: *Cujusvis, inquam, hominis esse videtur, ea, quæ bene suis lineamentis descripta & confirmata sunt, dilatare, suisque veluti membris & articulis distingvere: atque ejusmodi verum inventor aut certe adjutor est tempus, unde artes ipsæ sic amplificata & propagata sunt. Cujuslibet enim hominis est, id quod deest, addere. Cur itaque non Christiani Philosophi? qui & optimè id præstare potest, & commodum inde accipit longè amplissimum. Deus autem his initiis dabit incrementum; & erit illi*
Soli Laus, honor &

GLORIA!



IX.

DISPUTATIO MORALIS

De

ELECTIONE MI-
NORIS MALI PRÆ

MAJORI;

SECUNDUM PRÆCEPTĀ CHRI-

STIANAE PHILOSOPHIAE;

Habita 3. Januar. A. MDC. LXXXV.

PRÆFATIO

PRÆSIDIS AD RESPONDENTEM,

JOH. CHRISTOPHORUM Frauendorff/

Num.burgensem, hodie Philosoph. Magistrum,
& SS.Theol.Candidatum.

Iuceat mihi tecum, Mi Optime *Frauendorfi*, Amice Dilectissime, jam inter seria quasi *jocari*. De malo nimirum publice differere instituiti. Bene; nisi quod me Ducem elegisti, hominem, cui autoritate publica res est cum illa disciplina, in qua omnia sunt bona, ne ipso quidem Diabolo excepto; tantum abest, ut aliquid mali locum in ea invenire possit. Nosti nimirum, me docere Metaphysicam in cathedra Philosophorum, illam scientiarum omnium Principem, quæ de Deo imprimis, *qui unus est bonus*, è lumine Naturæ agit; deinde, quid reliquæ res sint, inquirat, cumque originem earum à Deo pendere videat, omnes

Math. XIX. 17.
Marc. X. 18.

mnes illas in essentia bonas esse, deprehendit. Quid igitur mihi cum Malo Tuo? quid disciplinae Meae Optima? Facilius id invenire potuisses, si Physicam consultuisses, inque ea circulos generationis ingressus fuisses. Natura enim, cujus illa Interpres est, saepius hic aberrat, & quando corpora exquisitissimae pulchritudinis producere intendit, monstra gignit, quae non potest non improbare Ipsa & inter Regni sui mala referre. Sed placuit Tibi in illam excurrere Philosophiam, in qua tot mala, quot vitia obviam habuisti, imò Summum non minus Malum quam Summum Bonum invenisti. Parum hoc erat Tibi, nisi & calculum meum requireres, quò factum illud Tuum publice comprobarem. Ecce verò eum! candidum omninò Tuoque Malo omni ex parte faventem. De Malo enim non male agis, sed bene, sed optimè, quia cum iudicio atque eruditè. Eligis nimirum id, quod minus est, nec huic, nisi vis aliqua pretium ipsi faciat, locum relinquis; tantum abest, ut ad Summum usque Malum ascendas, aut minima etiam, nisi favore Necessitatis uti, & bona dici possint, eligenda esse putes. Quid? ne minima quidem vitiorum inter Mala Tua agnoscis, si quis ea committere debeat; sed ad illa potius respicis, quae Fortunae, vulgari dictione, foetus sunt clariusque damna dici possunt. Inter haec enim, quod minimum est, censes eligendum esse, damnumque sic evitas ipse non tantum, sed commodum etiam in studiis Tuis hinc sentis luculentissimum. Scio etiam, quod praemium destinet Tibi Philosophia, quae pro Minori hoc Tuo Malo Bonum Tibi propediem tribuet Maximum, Supremam Laureae suae Dignitatem. In hoc maiorum & bonorum concursu quid faciam ego aliud, quam quod ingeminem illud meum: Faxit DEUS O. M. Feliciter!

Hh

B. C. D.

B. C. D.

Thef. I.



Sic ab hominibus doctis accepimus, inquit Cicero L. III. de
 Offic. subinit. Ex malis eligere minima oportere. Et in
 Epistola ultima ad Brutum, si tamen Ejus autor est,
 Propius fin. In duobus malis cum fugiendum majus sit, le-
 vius est eligendum. Quam sententiam inter alios do-
 ctos homines dubio procul debuit Aristoteli, qui L. V. Nicomach.
 cap. VII. (in quibusdam editionibus cap. III.) Boni rationem, in-
 quit, obtinet levius malum, si cum graviore malo comparatur. Εσι γαρ
 το ελαττον κακον, μαλλον αιεστον τω μειζονος: Nam levius malum, o-
 ptabilius graviore est. At quod optabile & expetendum est, id bonum est.
 Ubi vides, Aristotelem uti sententia nostra loco medii Termini,
 quo probet, levius malum obtinere rationem boni. Valet enim
 consequentia: Quicquid altero est optabilius, id obtinet ratio-
 nem boni; quia quod optabile & expetendum est, id bonum est; quam
 probationem ipse adjicit. At vero licet etiam invertere argu-
 mentum & reciproce concludere: Quicquid boni rationem
 obtinet, illud est eligendum. Atqui minus malum &c. E. E
 Junioribus solus sufficiat Grovius, & eo quidem magis, quo
 nervosius hæc eloquitur plenissime, per testimonium Scri-
 ptoris Veteris & adjectam rationem. Sic enim Lib. III. de J.
 B. & P. cap. XXII. §. 5. Minus, inquit, malum induit rationem
 boni: Χρη των κακων επιλεγειν τα μετριωτερα, ut ait quidam apud
 Appianum. Exempla passim apud Ipsum invenias. Nullum
 tamen illustrius est, rectiusque sese habet illud Davidis, L. II. Sa-
 muel. XXIV. 14. melius esse fatentis, incidere in manus Domini, quam
 in manus hominum. Hærebat Rex optimus inter sacrum & saxum,
 πολεμον, λοιμοντε λιμοντε Propheta comminante, sed copia ipsi
 facta, ut eligeret famem per septennium, aut cladem atque fugam
 per trimesse in bello, aut per triduum pestem. Quid faceret?
 Coarctor, inquebat, nimis. Nihil enim horum non erat ma-
 lum, quod, qui possent, averfarentur omnes. Sed necessitati
 parens

parens incidere malebat in manus DEI, quam hominum; quò ipso non tantum prudentissime minus malum prae majori eligebat, sed & utrumque rectissime aestimabat. Singula enim illa cum essent malorum maxima, ut quod postponeret aut praeferret, vix ac ne vix quidem inveniret; illud tamen, quod (immediate) manibus hominum inferretur, jure meritoque habebat pro majori; pro minori, quod DEus singularissime moderaretur, *Multa enim*, inquit, *miseriordia Ejus sunt*, quae facile imminuere malum, quid? in bonum vertere poterunt.

TH. II.

Utinam hoc Exemplum Nos sequeremur omnes, quando similis eligendi necessitas incumbit nobis! Atenimvero mala ipsa tractamus male, ipsique sic evadimus pessimi.

TH. III.

Quid mirum? In statu corrupto vivimus inque hoc solo mala habemus obvia, tanto saepius numero, ut nec ferre omnia nec auferre valeamus. Nec multis tantum, sed & multiplicibus malis subjicimur miseri, aut incauti nos subjicimus ipsos. Hinc eo major esse debet cautela nostra tum in illis cognoscendis & discernendis, tum in fugiendis & eligendis, quo majus nobis imminet periculum.

TH. IV.

Scholastici distinguunt inter *malum*, *peccatum* & *culpam*. Sicut enim *malum est in plus quam peccatum; ita peccatum est in plus quam culpa; Thomas 1.2. qu. 21. artic. 2.* Quae verba non minus obscura, quam barbara sic exponit *Tannerus Tom. II. Theol. Schol. disp. 4. qu. 1. dub. 2.* *Malum*, inquit, *peccatum & culpa inter se differunt velut superius & inferius; eo quod malum significet defectum in quacumque re, peccatum vero defectum in quavis operatione, culpa denique in actione morali.* Monstri quid alere hanc distinctionem ejusque expositionem, nemini est obscurum; quâ occasione vero illud genitum sit & in lucem editum, haud æquè patet. Sententia Nostra hæc est. *Aristoteles* accuratè distinguit *Lib. V. Moral. cap. 10.* inter *ἀτιμία, ἀμάρτημα καὶ ἀδίκημα.* Tametsi verò neque *Thomas* neque *Tannerus* *Aristotelem* allegat, credimus tamen ex hoc

Aristotelis locò illam Scholasticorum distinctionem impuris manibus esse haustam ipsorumq; culpâ vitiatam. *Ἀτύχημα* ipsis dicitur *malum, ἀμαρτήματα peccatum, ἀδικήματα culpa*. Hactenus benè. Deinde statuunt, hæc differre ut majus & minus, aut velut superius & inferius. Nec hoc quidem malè. In eo verò graviter aberrant, quòd discrimen eorum in subjecto constituunt, ita, ut malum in re quavis, peccatum in unaquaque operatione, culpa in actione morali committatur & reperiatur. Enimverò aliùs hæc diversitas deducenda est; Duce *H. Grotio L. III. de J. B. & P. cap. XI. §. 4.* ubi textum Philosophi ante omnia veritè accuratius, quàm hactenus factum fuerat; quæ *ἀτυχεῖν* dubio procul Scholasticis non minus, quàm aliis offendiculo fuit, ut & ipsi lapsi fuerint. Deinde declarat hanc distinctionem eruditè, adhibitis exemplis, quæ à suo Argumento, h. est à bello petit. Nos breviter &, quòd speramus clarè ita: *Ἀτύχημα*, est *merum infortunium; ἀμαρτήματα, culpa media; ἀδικήματα, plena injuria*. Sic enim distingvi possunt vocibus, interprete ipso Grotio. Reipsâ deindè tum principio, tum formâ, tum obligatione differunt. Principium antecedit, forma constituit, obligatio consequitur. *Ratione principii Ἀτύχημα* (merum infortunium) ex casu; *ἀμαρτήματα* (culpa media) ex errore vincibili; *ἀδικήματα* (plena injuria) ex malitia oritur. *Ratione forma* merum infortunium nihil habet vitii; Culpa media nonnihil; plena verò injuria est vitium ipsum. Hinc *ratione obligationis*, & ad pœnam obligat & ad damni restitutionem; Merum infortunium ad neutrum; Culpa-media ut restitutioni obnoxia est, ita pœnam sæpè non meretur, præsertim capitalem. Merum infortunium cadit in Venatorem, si officio suo debitè defungens hominem sub virgultis latitantem loco ferè nesciens interficiat; Culpa media in Jocatorem, si inter lusus cum bombardâ, quam oneratam aut ad explodendum dispositam esse nescit, amicum invitum vitâ privet; plena injuria in latronem, qui sciens atque volens innocentem occidit.

TH. V.

Fatendum autem est, hanc distinctionem, sive cum Grotio & nobis ad mentem Aristotelis, sive contra eam cum Scholasticis

ficis explicetur, in nostra quæstione vix quidem applicari posse. Nos enim agimus de illis malis, quæ & possunt eligi & debent. Jam verò merum infortunium, cum ex casu fiat, non potest cadere in electionem; sicut nec culpa media, quia committitur per errorem. Plena verò injuria quò magis fit cum electione, eò est deterior, nulloque modo fieri debet. Malum autem & peccatum cum latissimè sumantur à Scholasticis, vel ob solam illam improprietatem, quam inde accipiunt, à nobis non adhibebuntur; potius omnia clarioribus terminis καθόρισται efferentur. Culpa tamen in quæstionem aliquando veniet; quemadmodum etiam omni ambiguitate caret.

TH. VI.

Hanc ob causam adjicimus distinctionem *inter malum natura & culpa*, desumptam è *Thoma 1. qu. 63. a. 9.* Illud in Physica per aberrationem Naturæ, e.g. in monstris; hoc in Ethica per naturalitiam voluntatis e. c. in adulteris reperitur; unde & *malum moris* à Scholasticis dicitur. Hoc autem in nostro argumento nonnullibi assumendum esse, modò monui.

TH. VII.


Maximè verò huc facit distinctio *inter malum pœna & culpa*, tradita ab eodem 1. qu. 48. a. 5. *Omne malum*, inquit, *in rebus voluntariis consideratum est pœna vel culpa.* Et paulo post: *Pœna & culpa non dividunt malum simpliciter, sed malum in rebus voluntariis.* Unde per compendium intelligis, tum quid utrumque malum sit, tum quò jure atque titulo hic omninò sint applicanda. Malum nimirum pœnæ est pœna ipsa; malum culpæ ipsa culpa; & quia in rebus voluntariis sunt, eligi etiam eò, qui mox ostendetur, modo possunt.

TH. VIII.

Quemadmodum autem culpa longè majus est malum, quàm pœna; cum illa sit simpliciter malum & nulla ex parte bonum; hæc aliquà ex parte tantum malum & simpliciter bonum; Unde à DEO etiam Nobis potest infligi; Vid. iterum *Thom. 2. 2. qu. 19. a. 1.* Ita vocabulum etiam mali magis ad culpam, quàm ad pœnam quadrat; præsertim si cum *Vossio in Etymolog. p. 306.* illud ab Hebræo *רע* derivemus. Hoc enim est *pravaricatio, defectus, mendacium*, à *Rad. רע* *pravaricari, mentiri*, qui sunt actus moraliter mali. Contra, malum pœnæ latius hic est sumendum, ut

Hh 3

ea



ea quoque mala, quæ formaliter pœnæ non sunt, modo mali aliquid aut damni nobis inferant, sub se complectatur. Quò sensu *Plautus Aulular. Act. IV. sc. 10.* malum & res malas non minus pro æquivalentibus significatione, quàm pro concurrentibus factò ipso habet:

Ad malum male res plurima se agglutinant.

Debent autem hic non mera infortunia e. g. naufragium ex tempestate, sed præretica aut apta suo modo ad eligendum esse e. c. ejectione mercium in mare, quæ jacturam navis & vitæ meæ liberè redimere possum; Aliàs huc non pertinerent, secundum dicta *Tb. 5.*

TH. IX.

Ipsa verò vox mali, cujuscunque sit significationis, nos admonet, electionem minoris præ majori malo propriam esse statui corrupto. Integer enim cum examissim optimus fuerit, quomodo ullum aut culpæ aut pœnæ malum in se admisisset? Quomodo necessitatem eligendi minus præ majori nobis imposuisset, aut copiam hujus ex necessitate natæ libertatis fecisset?

TH. X.

Hinc ex hypothese mea in disciplina I. N. sequitur, ad illa Axiomata Juris N. quæ è statu integro non desumuntur formaliter, sed ab eo normaliter tantum dependent, pertinere hoc Nostrum: Minus malum præ majori est eligendum. Quodcunque enim Axioma J. N. nos in novo actionis genere, quod statui corrupto proprium est, dirigit, illud è statu integro non desumitur formaliter. Atqui hoc Axioma &c. E. De Majori *vid. Compend. J. Nat. part. 1. cap. 1. §. 38.* Minor constat ex iis, quæ modò de malo & casu necessitatis in *Tb. 9.* diximus. Ulterius; Quodcunque Axioma J. N. non è statu integro desumitur formaliter, id ab eodem pendet normaliter tantum. Atqui hoc Axioma &c. E. *vid. ibid. §. 36.* Hæc verò dependentia cum in eo consistat, ut hujusmodi Axioma ex alio, quod in statu integro formaliter extitit, nascatur per extensionem officii normalis ad novum illud actionis genus, quod in statum corruptum tantum cadit, *ibid. §. 38. & 50. seqq.* nostrarum partium erit, hanc extensionem de nostro Axiomate speciatim demonstrare.

Th. XI.

TH. XI.

Accipitur autem illud vel de malis pœnæ, vel culpæ. De utrisque distinctè.

TH. XII.

De malis pœnæ cõnsuli potest tum Jus Nat. Præceptivum, tum Concessivum.

TH. XIII.

Jus Concessivum contentum est verbo : *Licet*. Hujus enim Juris beneficio *licet* nobis justè aliquid habere vel agere; *ibid. §. 2.* quia confert facultatem agendi § 3. Applico. Juris Concessivi Canon, qui formaliter in statu Integritatis locum invenit, est hic: Ex indifferentibus *licet* unum præ altero eligere. Quem in modum licitum erat homini integro, vesci omnibus Paradisi fructibus, excepto eo, quem ferebat arbor scientiæ boni & mali; ipso consentiente DEO *Genes. II. 16.* *Ex omni ligno Paradisi comede.* Hic Canon in statu corrupto extensus est ad indifferentia ipsi propria; e.g. ad vestes, ut liceat nobis induere albas perindè aut nigras, factas ex panno aut alia quavis materia. Inter Mala verò pœnæ retulimus etiam ea supra in *Th. 8.* quæ propriè damna vocantur, & in se neque bona moraliter neque mala, sed indifferentia sunt, & proindè quando à Necessitate in statum corruptum invehuntur, indultu Juris N. concessivi eligi possunt. Quâ ratione licet mercatori, naufragium metuenti, perinde hanc vel illam mercem in mare projicere; ægroto, huic aut illi corporis parti ægrè facere, ut ipse conservetur.

TH. XIV.

Juris Præceptivi proprium est verbum: *Oportet* aut *debet*. Hujus enim Juris jussu *debet* aut *oportet* nos hoc vel illud facere aut omittere; *In Compend d. l. §. 2.* Applico: Juris Præceptivi Axioma, quod in statu integro formaliter obtinuit, est hoc: *Quodcunque* magis est bonum, illud *debet* aut *oportet* magis expetere. Hæc enim est natura Philavtiæ rectæ, quæ sola in statu integro locum inveniebat. Benè *Augustinus L. 1. de Doctrina Christiana c. 26.* *Integer rerum estimator est, qui ordinat am dilectionem habet, ne aut diligit, quod non est diligendum, aut non diligit, quod est diligendum, aut amplius diligit, quod minus est diligendum, aut æque diligit, quod*
vel

vel minus vel amplius diligendum, aut minus vel amplius, quod aequè diligendum est. Hoc autem Axioma ad minora mala in statu corrupto extensum fuit, quippe quod morali æstimatione habeantur in eo pro bonis, si nimirum cum majoribus malis comparentur. Hinc oportet eligere minus malum, præ majori, si necessitas utrumque offerat; quâ voce Cicero etiam expressè utitur in verbis *Tb. 1. allegatis*. Peccaretur alias in *Φιλαυτίαν* rectam, quam à nobis Jus N. requirit. Vid. *Compend. part. 1. cap. 2. §. 11. part. 2. cap. 2. §. 3. per tot.*

TH. XV.

Nullum autem Exemplum tritius, tutius & clarius est illud, quod *Aristoteles Lib. III. Nicom. cap. I. de jaeturis mercium ἐν τοῖς χειμασμοῖν, quæ sunt tempestasibus orientibus*, proponit & ad declarandas actiones mixtas adhibet. Unum, quod tunc imminet, malum, est jaectura mercium; alterum, mors ipsa. Illud verò cum possit esse satis magnum, semper tamen minus est jaecturâ ipsius vitæ, boni illius, quod fundamentum omnium bonorum temporalium & æternorum occasio est: *H. Grot. lib. II, cap. 24. §. 6.* Hinc ex *Φιλαυτία* recta non possum non illud malum præ hoc eligere, si alterutrum necessario sit faciendum. Omnino enim libens nemo jaciatur; salutis autem suæ ac caterorum causa omnes, qui quidem sana mente sunt, οἱ γὰρ ἔχουσιν; inquit rectè *Aristoteles d.l.*

TH. XVI.

Vides autem in hoc Exemplo illud, quod pro minori malo habetur, non tantum reverà minus sed & purè aut simpliciter malum pœnz esse, quod cum nullo malo culpæ est conjunctum. Ergo videndum est in similibus casibus omnibus, an illud, quod tanquam minus malum præ altero eligere volumus, eundem in modum se habeat? ne circa gradus aut genera malorum aberremus, & in methodum philautiz rectè impingamus.

TH. XVII.

Priori modo graviter peccant Apostatz illi, qui scientes volentesque jaecturam verè religionis ipsiusque adeo æternæ salutis, quam honorum aut aliorum bonorum temporalium facere malunt. Notum est vulgatum *Heinrici IV. Galliz Regis dictum: Ut populum arumnis eriperet, suam se animam perditum ire; apud Riden.*

dan. L. X. Annal. p. 250. Facile verò alia ratione populum ærumnis, h. e. intestinis motibus atque bellis eripere potuisset, si Euram regni Gallix & cæli rectè ponderasset & dijudicasset. Nam quanto inferiora sunt omnia caduca bona, æterna salute; tanto etiã minor est jactura illorum omnium, quam hujus unius, teste Servatore ipso *Matth. XVI. 26.* Unde, nisi valde apparenter, illa præ hæc major haberi non potest.

TH. XVIII.

Imò verò hoc perversum genus hominum posteriori etiam modo delinquit turpissimè. Vera enim religio abnegari non potest sine mixtura mali moralis; cum Apostata nolit ulterius suum tribuere DEO; quæ summa est injustitia. Ut taceã alia. Sed hæc tam clara sunt, ut ausim huc referre illud *Aristotelis L. III. Nicomach. cap. 1. Riditula videntur, quæ ad eadem maternam (apostasiam) Alcmaonem Euripi diis ambitiosos aut avaros impulerunt.*

Jactura vilis mordet & damnum leve;

Si quo cavendum est, perdere extimescimus.

Cur, quod necesse est, non voluntas occupat?

Natura cur non vertit in rem gloria?

Legale damnum depretemus premiis.

Sed premiorum forma quæ sit fortibus,

Videamus: illa nempe, quæ nunquam perit.

Cælo refusus, subvolabit Spiritus;

DEI Parentis perfruetur lumine,

Regnante Christo stans in arce Regia.

Prudentius Peristephan. hymno XIV. à vers. 525.

TH. XIX.

Fatendum autem est, ea nonnunquam esse tempora, de quibus non inmerito usurpes illud *Arist. d. l. Difficile est interdum, quid cui præponendum sit, quidque pro quo ferendum, judicare.* Inprimis hoc verum est de iis malis pœnæ, quæ mixturam quidem mali moralis habent, sed si hæc cum malitia illius mali conferatur, præ quo illud tanquam minus eligo, sit aut videatur perexigua. Tunc enim major aut minor ille malitiæ gradus non semper adeo est perspicuus, aut si fuerit, nondum tamen approbari potest simpliciter illud *Gregorii M. XXXII. Moral. 20. Dum mens interminora &*

maxima peccata constringitur, si nullus omnino sine peccato evadendi aditus pateat, minora semper eligantur.

TH. XX.

Via itaque tenenda est & incedendum juxta illas Christianæ Philosophiæ regulas, è quibus hoc Juris N. Axioma recte intelligere possumus.

TH. XXI.

Extant illæ in *Compend. part. I. cap. I. Una Generalis de actionibus statui corrupto propriis §. 60. Quicquid ex hypothese status corrupti factu necessarium est, aut esse videtur, & juxta analogiam status integri orthodoxè expositi fieri nequit, illud Jure Nat. prohibitum est. Altera specialis de Circumstantiis Loci & Temporis §. 66. Quicquid ex hypothese status corrupti, urgente tempore aut loco, necessario faciendum est, & juxta Analogiam status Integri, orthodoxè expositi, fieri nequit, id vocat Jus Nature.*

TH. XXII.

Epriori Regula discimus, Axioma nostrum requirere, ut in genere nihil faciamus mali, ad evitandum majus malum morale: Eposteriori, ne necessitati quidem cedendum esse, ut minori malo morali à majori nos liberemus. Nam Analogia cum statu Integro hoc planè non admittit: quippe quòd in illo ne postremus quidem locus ulli malo morali fuisset relictus. Ubi nimirum omnia fuissent optima, ibi nihil mali potuisset esse. E. nec hodiè, nisi velimus contra Jus N. peccare, malum pœnz, quod cum malo culpæ sit conjunctum, præ alio majori malo eligere possumus.

TH. XXIII.

Cogitemus de Lucretiâ. Cùm nihil apud eam precibus ac minis proficeret Tarquinius Sextus, addebat dedecus: *cùm mortua jugulatum servum nudum positurum esse, ut in sordido adulterio necata dicatur; Livius L. I. in fine.* Quæritur itaque: An hoc dedecus, tanquam majus malum pœnz, per minus pœnz malum (quale videbatur esse opinio privata Tarquini de impudicitia ejus,) conjunctum cum malo morali (adulterio) declinare potuerit? Resp. quod non. Hæc enim declinatio non fiebat juxta Analogiam status Integri, nec medium adhibebatur ei conforme, cùm mixtura vitii moralis totam vitiaret actionem, quam Analogia status Integri nullo modo patitur,

TH. XXIV.

TH. XXIV.

Huic Exemplo veteri atq; privato publicum adjicimus atq; recentius. Anno hujus seculi XXVI. 26. April. Ferdinandus II. mandavit Commissariis suis in Carinth. &c. *ut in omnibus urbibus ac pagis strictè attendant, ut pupillis Catholici Tutores constituantur, atque in S. Catholica fide educatis fidelissimam curam omnemque necessitatem prebeant, hoc insuper addito, ut omnes Tutores, ubi ipsorum pupilli reperiantur, quid agant, quâ vita vivant, Superioribus denuncient.* Et A. XXVII. ult. April. Clementissimè vobis denunciamus, nobis maximò cum nostro dolore & displicentia satis certò relatum esse, quod aliqui suos liberos sicut & ipsorum fidei commissos pupillos ex istis nostris interioris Austria hereditariis Principatib. ac provinciis, uti antebac. exercitatum, ad externas non nostra religionis universitates atque provincias transmitters audent, quibus tamen in locis nihil, nisi sectaria dogmata totiq; patria periculosissima atque ad damnosos excessus incitantia facta discunt atque imbibunt. Et paulò post: *Quare in hunc finem, non solum ante dictum mandatum volumus removere, sed etiam insuper ultra expressè addere ac statuere tantum clementissimè, quantum severè, ne imposterum nec Provincialium, neque aliorum nobilium liberi & pupilli & innocens juvenus ex nostris interioris Austria hereditariis Principatibus atque provinciis, ad sectarias externas non nostra religionis provincias, vel universitates, sine nostro præsente & speciali consensu transmittantur, verum liberi, pupilli ac juvenus, quantum possibile, à Cathol. Tutoribus provisi, tales habeant, qui sine nostrò vel nostrorum Viceregentum habito speciali consensu, nullum pupillum in externas regiones mittant, sed vel nos, aut nostros Viceregentes debito modo antea certiores faciant, nostramque ulteriorem determinationem & ordinationem habeant expectandam.* Leguntur hæc ad verbum in *append. Comment. de Germaniâ S. restituta Caroli Carafa p. 134. 154. 155.* Hic duo imminebant pericula Parentibus atq; Tutoribus; unum majus, pœna nimirum severissima, quam minabatur Cæsar; alterum minus, jactura libertatis paternæ. Quæritur itaque: An illud malum, faciendo hoc, evitare jure potuerint? Resp. Quod non. Nam huic minori malo adhærebat malum morale, summa nimirum iniquitas, ab ipsis in innocentes liberos ac pupillos committenda, qui hoc



modo sub jugum Pontificium mittebantur. Dicitur: Alteri etiam malo majori vitium morale connexum fuisse, inobedientiam erga Superiorem. Resp. Inter superiores sunt gradus. Quemadmodum Civibus Magistratus, ita Magistratu DEUS est superior. Ulterius: Quemadmodum Servus non est inobediens, quando non facit, quod mandat è Civibus herus ejus, si contrarium imperet Magistratus: Ita Parentes & Tutores non sunt inobedientes, quando non parent Magistratui, si aliud jubeat DEUS. Jam verò liberi & pupilli, ex ejus mandato, in vera religione sunt instituendi. E. Instas: Magistratus est Tutor supremus, cui in Tutorem inferiorem, qualis est omnis privatus, jus competit dirigendi ejus actiones. Resp. Competit in humanis, non in divinis, quæ, tanquam talia, soli subsunt DEO. Taceo alia; nec hæc pauca contra Magistratum, sed pro subditis tantum dicta sunt.

TH. XXV.

Fatemur autem Nos ipsi, rigorem hunc Juris N. haud exiguum esse; qui ut ne nimis aut iniquus videretur, placuit sapientissimo DEO, eum in verbo suo repetere & repetendo approbare: *Non enim sunt facienda mala, ut eveniat bonum*; inquit Spiritus S. Rom. III. 8.

TH. XXVI.

Quòd si verò malum pœnz, quod cum aliquò malò morali quadantenus conjunctum & permixtum est, non licet eligere ad majus malum evitandum; facile apparet, multò minus licitum esse, malum morale, simpliciter tale, eligere, ut majus malum, sive pœnz illud, sive culpæ fuerit, declinari possit.

TH. XXVII.

Dicitur: Atqui DEUS ipse permittit malum culpæ ob multiplex bonum. Resp. Permittit, non facit. Nec ab illo ad hoc valet Consequentia. Jam verò de faciendò malò nos tantum quærimus; quemadmodum de solo illo d. I. respondet Spiritus S. licitum haud esse (*ποιῆν*) facere malum, ut eveniat bonum.

TH. XXIX.

Excipis: Ad solos privatos spectare rigorem hujus dicti: E. Magistratui licitum esse facere minus malum morale, ut eveniat bonum. Resp. Negando Antecedens. Nihil enim occurrit in tota

totâ hâc Disputatione Paulinâ, quo nitatur illa distinctio inter privatam & publicam personam, live Magistratum. Videt omnino *Disp. seq. §. 42. seqq.*

TH. XXIX.

Instas : Orthodoxi etiam Magistratus aliquando liberam heterodoxis exercitium contulerunt, scriptis hæc in rem concessionibus publicis. Scribere vero est aliquid facere. Resp. In casu necessitatis, in quô solo Magistratus licite hoc facit, non scribere, aut quicquid sic aliterque præstat ille ac confert, actio quidem est Physicè, non autem morali æstimatione. Hâc enim Actio, ad quam aliquis cogitur, non est coacti, sed cogentis ; & necessitas valet physicè agentem convertere in moraliter permittentem. *Vid. Compend. part. II. prolegom. §. 27.*

TH. XXX.

Sed & adest, qui privatorum, si scrupulosi & perplexi sint, ceu loquitur, causam oret. Postquam enim *Cornelius à Lippide in Rom. III. 8.* sibi objecit illud *Gregorii*, quod *Th. 19.* allegavimus, respondet, eum de hujusmodi hominibus intelligendum esse. *Hinc sive deatur, se peccaturos, quicquid agant, eligant minus, sc. id quod eis minus malum esse videtur ; si facultas doctos consulendi, aut alia ratio nodum conscientia perplexum dissolvendi, non suppetat.* O mirum & miserum consilium ! Ergone conscientia nondum certâ, certi quiddam erit eligendum aut faciendum ? Ergone error conscientia liberabit facientem à culpa ? Nolumus igitur ullô in casu eligere malum morale, ut aliud declinemus ; potius id cane pejus & angve fugientes, DEum eligamus & sequamur ipsum tanquam unum & summum Nostrum Bonum, qui mala culpa, quæ sæpius facimus, condonabit nobis, & mala peccata, quibus digni sumus, minuet aut avertet.

Huic soli sit Laus, Honor atque
Gloria.

X.

QVÆSTIO POLITICA:

Qvid

REIPUBLICÆ IN CA-
SU NECESSITATIS

LICEAT?

Ad disputandum

Propositad. 29. Decembr. A. M DC LXIX.

RESPONDENTE

JOH. VALENTINO MERBITZIO,

hodiè Philosophiæ Magistro & ConRe-
ctore Dresdensi.

C. B. D.

§. I.

REgia hæc olim fuit qvæstio, Regi Æthiopum ab Amaside Ægyptiorum Rege inter alias proposita: Quid sit valentissimum? Mirum autem non est, *summa fortuna homini*, uti dicuntur Summi Magistratus Grosio L. 2. de J. B. & P. c. 4. §. ult. verbis ultimis, dignam fuisse habitam *Fortunam*, quæ hōc nomine superbiret. Sed ex vero magis Philosophus Thales *Necessitati* hunc titulum vindicavit, *quia*, inqviens, *est invicta*; apud *Plutarchum in Convivio VII. Sapientum*.

§. 2. Huic ne Dii quidem resistunt apud *Platon. de Legib. 7. ex Homero*. Id verò etiã si nos Christiani Deo Omnipotentì imputare merito vereamur, cùm *Ethnicam hypothèsin* de

de Fato. foveat, cum quo ne Deus quidem unquam visus est pug-
nare, juxta illos; nihilominus necessitas illa, quæ in scholis
dicitur esse ex hypothesi, sano sensu illi non repugnat. Sic
*Providentia Dei circa res creatas necessaria est non tantum ob creatura-
rum indigentiam Ps. CIV. 29. 30. sed, supposita voluntate creandi ali-
quid, necessaria erat etiam ratione sapientia & potentia Dei; ne de-
fererentur res condita, sed gloria Creatoris etiam in conservatione
& directione appareret. B. Hülfem. Breviar. C. IV. Supplem. sb. 4.
Confer C. IV. sb. 2. Ut nihil dicam de necessitate essentia
& existentia divinæ, quæ absolute talis est. Vide Metaphysi-
cos. Diis verò hominibus Ps. LXXXII. 6. aut Dei in his terris vi-
cariis, seu Magistratibus, proverbium illud aptare nihil pro-
hibet. Homines enim sunt, & nihil humanum à se alienum pu-
tare debent.*

§. 3. Ad hos respicimus in argumento nostro, sub voce
Reipublicæ. Per hanc enim non intelligimus formam civitatis
abstractè, sed civitatem ipsam concretè, ejusque partem præcipu-
am, Magistratum Summum, in quo tanquam subiecto proprio
est Majestas; stilo *Grot. L. 1. c. 3. §. 7. Nec de statu populari spe-
cialiùs, sed de hoc, Monarchia & Aristocratia perinde nobis est* Homonymia
Reipublicæ.
*sermo, terminò Reipubl. non vulgariter, pro populari in specie,
sed politice pro civitate in genere acceptò. Vide hæc in Tho-
masianis tabulis more Autoris, h. e. accuratissimè distincta Cap.
de Republ.*

§. 4. In Rempublicam hoc sensu, hoc est, in omnem
civitatem cadere potest necessitas, *sumpta non secundum Physicam* Homonymia
subtilitatem, sed moraliter; uti loquitur Grotius L. 3. C. 1. n. 2. in qua necessitatis.
*si fuerit constituta, quærendi præbet occasionem, quid facere ei,
quid permittere, pati aut omittere liceat?*

§. 5. Necessitas hæc moraliter accepta excludit quidem
ab argumento nostro omnes illas necessitatis species, quæ à mo-
rali circumstantiarum æstimatione non æquè, ac nostra, dependen-
t, uti sunt: Necessitas absoluta Dei, necessitas naturæ, propo-
sitionum &c. de quibus Metaphysici & Logici: Ipsa tamen non
minus varia est, & scrutinium significationum, antequam fiat
applicatio ad unam certam, requirit.

§. 6.

§. 6. Potest verò exponi in moralibus vel ut passio, vel ut actio.

§. 7. Ut Passio Moralistis est triplex. *PRIMA* dicitur *COMMUNIS*, & est illa, quæ passim occurrit, pauperum v. g. ostiatim stipem querentium, vel eorum, qui in hospitali demo causa pietatis aluntur; *SECUNDA* dicitur *GRAVIS*, & est illa, quam incurrunt, qui non habent necessaria ad suum & suorum statum, & conditionem: *TERTIA* dicitur *EXTREMA*, vel *QUASI EXTREMA*, & est illa, quam quis patitur cum probabili mortis periculo. Verba sunt Bonacina, *Moralis Theol. Tom. II. Tractat. 1. Disp. 3. p. 162.* Confer *Tractat. 2. p. 90.* Laudes hujus Moralistæ vide apud *B. Hülfem. de Corrupt. frat. Dissertat. 1. p. 144.*

§. 8. Usus habet hæc distinctio apud Moralistas in ea potissimum questione: An in casu necessitatis liceat eripere rem alienam? quam negant, si communi aut gravi, affirmant, si extrema necessitate quis prematur; quem in modum etiam respondet *Grotius L. 2. C. 2. n. 6.* Contrarium defendere vide *B. Danbauer. Disp. Decalog. 16. §. 5.* tum ex aliis rationibus, tum primo & primario ex immutabilitate legis naturalis & moralis, quæ contractatio boni alieni prohibetur; quò ipsò simul hypothesis Moralistarum & *Grotii* de primæva communione evertitur.

§. 9. Habet verò & alibi hæc distinctio suam utilitatem, quod non negamus, nec à nobis improbatum; insufficientem tamen est, nec omnem ambiguitatem tollit, nisi etiam tradatur acceptio necessitatis, prout actio est aut ad doctrinam actionum in *Ethica* refertur. Sic verò videtur accipi similiter tribus modis, vel late vel stricte vel strictissime.

§. 10. Late dicitur non raro de actionibus spontaneis, prout illæ sunt media ad finem liberrimè electum necessaria. Huc refero illud *Boxhornij L. 1. Politic. c. 11. §. 17. p. 235.* de necessitate fœderum omnium: *Si, inquit, necessaria sunt fœdera, ut sunt, siquæ nulla sine vi, metu, aut necessitate inveniuntur, ut nulla inveniuntur &c.* Hoc sensu, juxta *Boxhornium*, omnia fœdera ex necessitate inveniuntur. Quis verò dubitet, plurima esse spontanea? Exemplo sint fœdera Societatis illa, quæ ad commercia pertinent; de quibus *Grot. L. 2. c. 15. n. 6.* Sponte hæc iniri, nullum est dubium. Relata tamen

tamen ad certum finem, acqvirendi scil. nervum rerum agenda-
rum, induere possunt necessitatis habitum. Qvô sensu *Boetius*
procul dubio necessaria sunt & dicuntur; sed latè, juxta modò
dicta; qvia in se sunt spontanea.

§ 11. Necessitas *strictè* nobis dicta pertinet ad actiones
mixtas; *strictissimè* accepta ad invitas. Hac excludit omnem liber-
tatem agentis aut patientis; qvò modo v. g. vento abreptus ne-
cessariò aliò fertur; qvòd est exemplum *Philosophi L. 3. Nicom. c. 1.*
Illa admittit adhuc aliquam libertatem voluntatis, etsi non
plenz: Sicut e. g. *Lucretia* apud *Liv. Decad. 1. Libr. 1. circa finem,*
vinci se patitur vivam, ut ne infametur mortua. *Metu enim*
mortis non quidem fuit inclinata, vicit tamen obstinatam pudicitiam
velut victrix libido, cum ad metum de decus Tarquinius addidit, & cum
mortuus; gularum servum nudum positurum se dixit, ut in sordido adul-
terio necata diceretur.

§. 12. *Strictissimè* dictam necessitatem parit vis, *strictè* ac-
ceptam, metus. Juxta *Panormitanum* enim *Cap. Sacris, Extra, de his*
qua vi metusve causa sunt: Vis est quadam coactio, qva quis ligatus (aut
alio modo omni libertate privatus) cogitur corporaliter aliquid fa-
cere (aut pati:.) Metus verò est vis, qvafi conditionata sine violentia
corporali.

§. 13. Hæc quasi conditionata vis intelligi potest ex a-
ctionibus mixtis Considerari hæc possunt vel absolutè, vel hypo-
theticè. *Absolutè (simpliciter, stilo Arist. L. 3. Nicom. C. 1.)* prout
ratione objecti considerantur, sine respectu ad hunc finem, sunt
invitz. *Nemo enim quicquam tale ipse propter se optaverit. Aristos. d. l.*
Hypotheticè, sub hoc fine & hoc statu temporis iis, qvz spontè
aguntur, similiores esse videntur. Vide id probantem duobus
modis *Philosophum d. l.* Hinc vis illa quasi conditionata. Necessè
enim est, me in actione mixta sic agere, nisi alterum, qvòd mi-
nùs optabile est & ego metuo, velim fieri. *Talia enim majorum*
matorum metu, vel honesti alicujus causa aguntur, v. g. si quis Tyrannus,
cujus in manu parentum & liberorum vita posita sit, alicui ut turpe quip-
piam faciat, imperet, ita ut illi, si agat, salvi sint: si non agat, moriantur.
Philosophus d. l. Confer omninò Ciceron. de Juvent. L. 11. pro-
pè sin.

§. 14. Ex distinctione Moralistarum, prout necessitas consideratur ut passio est, pertinet huc tertia, ipsius extrema vel quasi extrema dicta; Vide §. 7. & confer §. 17. 18.

§. 15. Ex altera distinctione, quâ necessitas ad actiones refertur, primam hujus loci non esse, facile patet. Quis enim Rempublicam in casu necessitatis constitutam esse diceret, quando finem liberè vult, media verò propter illum consequendum necessariò tantùm eligit; quæ tamen, si finem repudiaret, negligere posset? Exempla etiam ejus in Politicis ad titulum utilitatis potius quàm necessitatis referuntur; sicut v. g. quæritur, an propter utilitatem liceat fœdera sancire cum infidelibus in materia commerciorum?

§. 16. Tertia necessitas ejusdem distinctionis, parit quidem casum necessitatis, sed à nostra quæstione alienum. Illa enim necessitate qui premitur, non habet facultatem sic aliterq̄ agendi. Ineptè igitur de eo quæreretur, quid illi in casu necessitatis facere conveniat? Sicut hac quæstione illum, qui ventò abripitur, parum juvabis. Cadit hæc necessitas in Rempublicam illam, cui victæ jus dicitur à victore. Hic quid observandum sit, docet Grotius L. 3. c. 19.

Significatio
hujus loci.

§. 17. Sola igitur huc pertinet ex altera distinctione necessitas strictè sic dicta. Hæc enim non tantùm ponit aliquem in casu necessitatis, sed copiam etiam facit uti agenti aut patienti, an sic aliterq̄ se gerere velit, ita nobis quærendi, hoc an illud in tali casu facere, permittere aut omittere conveniat?

Synonymia.

§. 18. Convenit hæc necessitas quoad rem cum illa, quam Moralistæ suprà locò tertiò constituebant; Unde patiemur hanc vocari terminis apud illos Synonymicis, *gravissimam, summam, extremam*. Vide Grotium L. 2. C. 2. n. 6. & alibi, aliosq̄ passim. Datur omnium maximè tempore belli, Marte minùs æquo; teste historiâ & experienciâ.

§. 19. Minimè verò æquipollet necessitati nostræ illa, quàm hodie Ratio Status sæpiùs fingit quàm invenit. Haud rarò enim Utilitas sub specie Necessitatis hic latet, aut illa tantum est, quæ late sumitur. Vide §. 10. & 15. Patiar tamè facile, ut, si quando necessitas extrema urget Rempublicam ad aliquid vel faciendum vel pati-

patiendum, quod alias non faceret aut pateretur, in honorem ejus aut Magistratus, pro casu necessitatis splendidior substituitur vox Rationis Status. Ornet hoc purpurissimum splendidam purpuratorum miseriam; nos autem decet, scapham vocare icapham & ficum ficum.

Homonymia
Licitæ.

§. 20. Nec sufficit nobis Justitia Politica, quæ in foro humano impunitatem confert, & quæ in Ratione Status hodie utramque paginam facit; Sed requirimus Justitiam Ethicam, à quæ in foro conscientie impeccabilitas est. Utramvis alias notare potest verbum, licet, quod integro §. 2. L. 3. C. 4. egregie ostendit Grotius. Id enim quod licet, non semper decet. Vide elegantem locum Ciceronis apud Grot. d. 1.

§. 21. Quod vero de circumstantiis dicit Philosophus, explicando eas L. 3. Nicom. C. 2. Fortè non malum est, quæ quotq. sint ea exponere: Tum quisnam, quidq. agat, tum qua in re versetur actio: Interdum etiam quò quasi instrumento, cujusq. rei causa: & quo tandem modo, ut, remissè an vehementer; id omninò nobis nunc faciendum est; applicando easdem ad argumentum nostrum. Ex circumstantiis enim id non minùs decidi quam intelligi potest. Harum alias nominantur distinctius septem, à Cicerone in Rhetoricis traditæ, & vulgato versiculo (Quis, quid, ubi, &c.) comprehensæ; quas cù Aristotelicis modò dictis conciliat Thomas 2. 2. qv. 7. art. 3. c.

§. 22. Ex his verò circumstantiis aliquæ ingreditur h. l. statum controversiæ, aliquæ ad ejus decisionem faciunt, uni verò utrumq. competit.

§. 23. Quæ ad statum controversiæ formandum & decidendum simul pertinet, est causa efficiens. De Republica enim (1.) non de privatis hinc quæritur. Hæc tamen (2.) ut medius etiam terminus ad decisionem quæstionis h. l. facit, quoties aliquid in casu necessitatis licet Reipublicæ ideò, quia Respublica est; sive argumenter comparative à minùs ad magis (quod licet privato, illud magis licet Reipublicæ, sive simpliciter (ubicunq. agens est Respublica ipsa in casu necessitatis &c.) Longè enim alia ratio est privati alicujus, alia ipsius Reipublicæ. Nec alibi valet magis illud tritum: Duo cum faciunt idem, non est idem. Hinc Grotius accuratissimè distingvit toties inter factum privatum & publicum, Vide ex pluribus locis L. 2. C. 1. §. 16.

Kk 2

§. 24.

§. 24. Temporis etiam in utrumque magna vis est; sicuti de eo, in alia materia, loquitur idem *Grotius L. 2. C. 4. §. 6.* Actionis enim finis ex opportunità temporis spectandus est. *Arist. III. Nic. c. 1.* Et, si pugnandum est, inquit *Cicero L. VII. Epist. 9. ad Attic.* quo tempore, in casu; quo consilio, in temporibus situm est. De loco quin idem sit affirmandum, nullum est dubium. Hæ enim duæ circumstantiæ, pariunt hoc loco casum necessitatis, de quo est quæstio; ideoque ad formationem status controversiæ pertinent.

Status controversiæ.

§. 25. His igitur circumstantiis conjunctis oritur quæstio: Quid liceat Reipublicæ eo loco atque tempore, quò necessitate ad agendum, patiendum, permittendum aut omittendum urgetur?

§. 26. Hujus quæstionis decisionem petimus à reliquis circumstantiis, causâ efficiente nonnunquam, ceu modo diximus §. 23. in subsidium vocatâ.

§. 27. Explicabimus autem primùm circumstantias ipsas, prout huc pertinent, deinde applicabimus eas ad rem præsentem, formatis axiomatibus, sæpius ex complexione plurium circumstantiarum, prout id feret aut exiget rei conditio.

Expositio circumstantiarum ante decisionem.

§. 28. Incipiamus à forma. Ad hanc autem pertinet modus agendi, qui h. l. vel est actio vel permissio. Actio est, ubi vel physice ipse operor vel moraliter cooperor aut cooperari æstimor, sive id directe fiat sive indirecte. Vide hoc ad moralia exempla egregiè applicatum à *Grotio L. 2. C. 17. §. 6. seqq.*

§. 29. Permissio vel est facti vel legis. Illæ significat impedimenti remotionem; hæc iterum aut est plena, quæ jus dat ad aliquid omninò licite agendum; aut minor plenâ, quæ tantum impunitatem dat apud homines, & jus, ne quis alius impedire licite possit. *Grot. L. 1. C. 1. n. 17.*

§. 30. Ex his permissionibus quæstio hæc omnium maxime est de tertia, quæ minor est plenâ. Exempla ejus suggerit Jus Civile, permittendo lupanaria, concubinatum, quæstum meretricium &c. apud *Nobiliss. Dn. Ziegler. in d. l. Grot. p. 65.*

§. 31. Materia seu objectum distingvi potest in Reale & Personale, terminis in Ethica notis.

§. 32.

§. 32. Reale aliàs aut est indifferens, aut bonum vel malum. De indifferentibus quæ talibus, hîc non est quæstio; Ea enim licita sunt semper: Nec de rebus in eodem gradu bonis; Talia enim sunt licita æqualiter. Multo minus de bonis in majori gradu; hæc enim non possunt tantum, sed debent etiam eligi: Sed de malis aut absolute aut respectivè talibus. *Illæ* sunt mala fortunæ & culpæ. *Hæc* sunt bona fortunæ aut moralia, sed in gradu minori, ob quæ in respectu ad bona in majori gradu speciem malorum referunt. Ad hæc etiam referemus *infra* §. 41. indifferentia illa, quæ formaliter nec bona nec mala sunt, consequenter autem mala.

§. 33. Talia verò mala seu sint fortunæ seu culpæ, seu absolute seu respectivè talia, differunt iterum inter se invicem gradibus, seu secundum magis & minus.

§. 34. Hujus discriminis gradualis inter mala & bona fortunæ elegantissimum exemplum elegantissimè pertractat *Grotius* L. 2. C. 24. n. 6. ex Tacito de deliberantibus Galliæ civitatibus: Libertas (civilis, internecino bello redimenda,) an pax (cum servitute conjuncta) placeret? cujus decisionem vide *infra* §. 49.

§. 35. Graduale etiam, id quæ notatu in hoc argumento dignissimum discrimen est inter malum morale & dogmaticum. Utrumque est malum culpæ: In specie verò morale est vitium alicui virtuti morali oppositum; dogmaticum est error in Religione. Horum alterum seu dogmaticum in se quidem est gravissimum, omnium maxime, quia immediatè peccat in Deum; in nostra tamen quæstione quasi pro minori habetur, non ratione sui, sed quoad Reipublicæ actum, quò facilius permitti potest, quàm morale: quæ de re *infra* §. 60.

§. 36. Objectum personale constituunt Deus & homines.

§. 37. Ad Deum refertur Respublica per cultum divinum, qualiscunqve ille sit seu verus seu falsus ac indebitus. De hoc (quem modò malum dogmaticum appellavimus) h. l. est quæstio. Vide *infra* §. 60.

§. 38. Homines, ad quos refertur in tali casu, sunt vel intra vel extra ipsam. *Illi* sunt subditi; *hi* constituunt aliam Rempublicam, seu ex toto, seu ex parte. De utrisque sermo nobis esse debet *b. l.*

§. 39. Finis semper est bonum aliquod, aut certe mali declinatio, quæ vicem boni obtinere possit. *Grotius L. 2. C. 24. §. 5. Ergo & hoc loco.* Bonum verò illud, vel est apprensus vel verum, quod vulgò notum.

Applicatio circumstantiarum ad decisionem.

§. 40. *Necessitas finis jus facit in moralibus, Grot. L. 2. C. 5. §. 24. Clarius & plenius L. 3. C. 1. n. 2. Ea, quæ ad finem ducunt in morali materia, a simulationem intrinsecam accipiunt ab ipso fine; quare quæ ad finem juris consequendi sunt necessaria, necessitate sumptæ non secundum physicam subtilitatem sed moraliter, ad eam jus habere intelligimur.* Quatuor id etiam exemplis declarat *ibidem*. Quod si igitur bonum finem necessario intendere debeat Respublica (ut axioma primum petamus à fine, in quo explanationem circumstantiarum modò finivimus,) licebit in casu necessitatis extra ordinem media adhibere, quæ ad illum obtinendum hòc locò atqve tempore faciunt. Cautè tamen videndum est, finis ille ne fit bonum apprensus sed verum. Imò à mediis abstinendum est, donec de bonitate finis exactè constet.

Axioma 1.

Axioma 2.

§. 41. Rem in se indifferentem licet adhibere in casu necessitatis, etsi consequenter in alterius incommodum cedat. Declarari hoc potest per factum privatum Christianorum captivorum, qui remigant & alia obsequia in bello Turcarum adversus fideles præstant. Licet id ab ipsis, propter casum necessitatis fieri, docet *Ludov. Molina de Justitia & Jure Disp. 115. T. 1. allegatus, nec improbat B. Dorscheo Anticrif. Theol. p. 29. Non fas quidem illis esse, etiam in mortis metu, pugnare adversus Christianos, quoniam interficiendo, vulnerando, percutiendo: quia id est intrinsecè malum, utpote innocentis percussio absque auctoritate & jure ad id faciendum, quod neque efficere, neque adoriri, intendere aut suadere licet; attamen metu mortis aut notabilis aliusque detrimenti, fas esse remigare in triremibus infidelium, reliquæque præstare, quæ imperantur ad hunc actum: quoniam, licet ea omnia præcipiantur & ordinentur ab infidelibus ad malum finem peccatumque lethale, in se tamen mala non sunt, ut remigare adversus Christianos, asportare sarcinas & arma, admove-re scalas, construere propugnacula; sed sunt ex se indifferentia; & quamvis à Christianis captivis accommodatè fiant ad finem infidelium, non ta-*

men

men sunt ab eis propter eum finem, sed ad evadendam propriam mortem, notabileque proprium detrimentum, qui sunt fines optimi: facere autem, quod ex se non est malum, & propter optimum finem; sane, malum non est, sed bonum: esto, qui id ita efficit, videat inde eventurum malum aliis ex alterius nequitia & pravitare.

§. 42. Applicare hoc possumus ad Rempublicam in casu necessitatis, tum respectu subditorum, tum aliorum extra Rempublicam.

§. 43. In subditos aliàs multum licet Magistratui. *Confociatio enim, inquit Grot. L. 2. C. 5. n. 23. quàm multi Patres familiarum in eandem populum ac civitatem coeunt, maximum dat jus corpori in partes: quia hac perfectissima est societas, neque est ulla actio hominis externa, quæ non ad hanc societatem aut per se spectet aut ex circumstantiis spectare possit. Vide §. 5. L. 3. C. 2. Pertinet huc Dominium eminens; de quo vide elegantissimam disquisitionem Viri Summi Dn. Bacleri, Commentationibus Grotianis insertam p. 85. seqq. Confer Grotium ipsum L. 1. C. 1. n. 6. L. 2. C. 14. n. 7. L. 3. C. 20. n. 7. Id verò est exercendum utilitatis publicæ causa, quæ exquisitori loquendi genere ad necessitates imperiosas adstringitur, sicut necessitas morali definitione ad finem consequendum, citra jecum & cavillationem dirigitur. Dn. Baclerus d. l. p. 86. 89. Quid igitur licebit in gravissima necessitate, & omnium maxime in indifferentibus?*

§. 44. Ex hac ratione Magistratui licet, respectu subditorum, in casu necessitatis falsum dicere. Id tamen asserimus (1.) h. l. tantum de casu necessitatis, non de exercitio Domini eminentis, quæ talis; de quo vide *Bacl. d. l. p. 111.* Ideoque (2.) probamus id non tam ex principiis Grotianis L. 3. C. 1. n. 11. 15. quam ex vulgata hypothese, formale genericum mendacii, quod in difformitate intellectus cum externis signis consistit, moraliter esse indifferens; ac proinde jocosum & officiosum mendacium posse esse bona. Vide *Grot. ipsum, d. l. n. 9.*

§. 45. Respectu aliorum extra Rempubl. id caret difficultate. His tamen annumerari possunt reliqui Magistratus in Republica mixta, huic, qui in casu necessitatis nunc constitutus est, contra distincti. Quatenus enim sua habent Regalia, rem suam sibi habere videntur, etsi conjunctim sumpti sint coimperantes in eadem Republica mixta. His concedere aut potius reddere potest

teft jus dirigendi exercitiū religionis alter Magiftratus, citra violationem conscientiz, non obftante, quod ille, cui conceditur aut redditur, alterius religionis fit. Jus enim ipfum in fe eft indifferens ad veram & falſam religionem, & nihil aliud quàm Regale, quod uti alia perinde cadit in uſum & abuſum.

Axioma 3

§. 46. In caſu neceſſitatis minus malum poteſt imò debet eligi præ majori. Conſiſtit in hoc diſcrimen conſtantis à pertinaci & inſtante, eleganter traditum à *Thoma* in *IV. Sentent. diſt. 29. qu. 1. art. 2. C. Conſans*; inquit, *ſequitur rationem reſtam*. Juxta hanc autem ſemper minus malum, vel majus bonum, eligendum eſt: & idè conſans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu majoris mali, non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum: Sed inſtans cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, ſicut ad peccatum propter metum corporalis pœna. Sed pertinax è contrariò non poteſt cogi etiam ad minus malum ſuſtinendum vel faciendum, ut vitet majus malum: Unde conſans eſt medius inter inſtancem & pertinacem. Axioma verò illuſtrare poſſumus exemplis privatis. Sic quoad mala fortunæ licet in periculo naufragii mercatori perdere merces, præ navi & vita; Sic quoad mala moralia in caſu neceſſitatis ſubditus, juſſus bello intereſſe quod habet pro injuſto, poteſt eligere inobedientiam, non ſeqvendo, quàm bellum. *Inobedientia enim in ejuſmodi rebus ſuapte naturâ minus malum eſt quàm homicidium, præſertim multorum innocentium*; inquit *Grot. L. 2. C. 26. n. 4.*

§. 47. Aptari hæc poſſunt ad Rem publ. reſpectu ſubditorum & ad extra. *Sciendum enim eſt ea, quæ malum majus aut certius evitant, magis utilia quàm dæmoſa etiam Publico cenſeri debere, quia minus malum induit rationem boni: καὶ τῶν κακῶν ἐπιλέγεισθαι τὰ μετρίωτερα, ut ait quidam apud Appian. Grot. L. 3. C. 23. n. 5.*

§. 48. Sic jura illa, quæ Magiſtratu in ſubditos competunt, & non dependent à Jure divino, ſed conſuetudinibus ac ſanctionibus humanis, ſuâ naturâ remitti ac ſuſpendi poſſunt; imo & propter evidentem neceſſitatē remitti & ſuſpendi debent, ſi ſc. probabiliter judicetur, plus incommodi quàm emolumenti Reipublicæ Chriſtianæ aut Eccleſiæ ex illorum exercitio oriturum. Illuſtrari hoc poteſt exemplo Jurium Episcopalium apud *B. Dorſch. d. l. p. 58.* quorum vigore ſubditi nulli niſi Pontificii admittuntur.

tuntur, infamia diversum sentientibus inuritur &c. His cedere potest, in casu necessitatis, Magistratus illæ sâ conscientiâ.

§. 49. Eadem ratione pacem cum servitute conjunctam libertati civili internecinô bellô redimendæ præferre potest Respublica; quia servitus minus malum est morte ipsâ, juxta *Grot. L. 2. c. 24. n. 6.* Elegans est ejus ratio pro prærogativa vitæ inter omnia bona temporalia. *Dicitur recta ratio*, inquit, *vitam, quæ fundamentum est omnium bonorum temporalium, & æternorum occasio, pluris esse quàm libertatem; sive utrumque sumas in uno homine, sive in toto populo.* Similia habet in *Annotat. ad Matth. XXII. 16.* *Vita moram, quæ spatium dat penitentiæ, inter bona corporis habere primum locum, & fundamentum esse aliorum bonorum, ad corpus pertinentium; quæ rectè esse scripta fatetur. B. Hülfem. Brev. C. 20. supplem. th. 10.*

§. 50. Imò verò hîc multum licet Magistratui inferiori, quod aliàs non licuisset. *Si enim ita præsens sit periculum, ut tempus non ferat eum consuli, qui supremum in civitate jus habeat: hic etiam necessitas exceptionem porriget. Hoc jure usus L. Pinarius præfidiò Enna in Sicilia Præfectus, cum certò sciret oppidanos ad Carthaginenses defectionem moliri, eade in eos facta Ennam retinuit. Axioma & exemplum est Grotii L. 1. c. 3. n. 4.*

§. 51. Facile verò est, hoc applicare ad Magistratum adversus alios extra Rempublicam. Hoc modo ei, qui bellum pium gerit, licet locum occupare, qui situs est in loco pacato; nimirum si non imaginarium sed certum sit periculum, ne hostis eum invadat, & inde irremediabilia damna det &c. *Grot. L. 2. c. 2. n. 10. Conf. L. 3. C. 17. n. 1.*

§. 52. In casu necessitatis minus bonum potest eligi præ majori. Idenim quod minori bono decedit quoad bonitatem, compensatur per necessitatem. Res caret dubio. Exemplum tamen subjicimus ex *Grot. L. 2. C. 21. n. 5.* de latronibus ac piratis, qui si ita invaluerunt, ut formidabiles se fecerint, rectè recipiuntur ac defenduntur, penam quod attinet; quia interest humani generis, ut si aliter non possunt, impunitatis fiducia à maleficiis devocentur, ejusque negotium gerere quivis populus aut populi Rector potest. Jam verò cessatio à maleficiis est minus bonum supplicio tantum hominum, quod in se justum est, & cessationem illam includit simul. Verbo: Cessatio est bonum utile; supplicium est bonum honestum & utile simul. Geminum verò bonum simplici melius esse, per se constat.

Axioma 5.

§. 53. Intelligenda verò hæc omnia sunt quoad mala culpæ non de actione, sed permissione. De actione enim Regula Spiritus S. est omni exceptione major *Rom. III. 8.* Non esse facienda mala, ut inde eveniant bona. Quam Regulam in iis, quæ semper mala sunt, locum habere agnoscit *Grot. L. 3. C. 1. n. 6.*

Axioma 6.

§. 54. De permissione aliter se res habet in casu necessitatis. Tunc enim illa potest esse mali, ut ipsa non sit mala. Nam aliud est quærere, an id, quod permittitur, licitum sit, aliud verò an illius permissio licita? Non, quia Deus permittit peccata, propterea peccata licita sunt. Non licet facere mala ut eveniant bona; At tamen mala in certis casibus permitti possunt majoris boni impetrandi causa. Verba sunt *B. Dorschei AntiCris. Theol. p. 12.* Quod si verò hoc fieri potest in casu emergentis utilitatis, multò rectiùs id fiet in casu summæ necessitatis. De patientia enim (h. l. permissione) ita habendum est, qui scit delinqui, qui prohibere (NB.) potest & tenetur, nec prohibet, eum ipsum delinquere. *Grot. L. 2. C. 21. n. 2.* Et paulo infra: præter scientiam (ad patientiam, & permissionem pœna dignam) requiritur facultas prohibendi. Quod si igitur hæc absuerit, permissio erit non mala. Absert verò in casu summæ necessitatis: imò necessitas hinc sustulit obligationem, si quæ adfuit priùs ad non tolerandum. Præcipuè verò id obtinet, ubi de permittendo habemus expressam divinam dispositionem; cujus exemplum dabimus mox §. 56.


§. 55. In specie id deduci potest per exempla sacra ulterius; (1.) de malo dogmatico per defectionem X. tribuum ad Jeroboamum, quæ non tantum à Rege, sed etiam à Deo, simul ab obedientia regia, simul à sinceritate religionis, desciscabant. Permissit hæc Deus, *1. Reg. 12, 24.* A me, inquit, *Jehova factum est verbum hoc.* Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios *Israel.* Vide hoc latius pertendentem *B. Dorsch. d. l. p. 245. seqq.*

§. 56. Accidit, quod Deus permissionem mali dogmatici, seu erroris in religione mandet, *Matth. 13, 29.* ubi zizania non evellenda esse discimus. Per zizania verò hinc intelligi hærefin aut malum dogmaticum, patet ex oppositione seminis, quod est verbum Dei. Conf. Interpretes. A quo sensu *Grot. L. 3. C. 1. n. 4.* lon-

longè abit, probando ex hoc veram aliàs thesin, innocentes in bello non esse occidendos, nisi multo majus sit bonum, ad quod nostra actio tendat, quam malum id, quod metuitur. Præterea nos habere expressam dispositionem ut permittenda corrupta religione, in casu necessitatis, à Theologis A. C. comprobatum esse, idque Pontificios etiam aliquos agnovisse, notat *B. Dorfb. d. l. p. 11.*

§. 57. Malum (2.) morale seu peccatum permitti à Deo, certissimum est. Imò verò Deum cooperari cum re, cui inseparabiliter adhæret malum morale, patet ex concursu ad generationem hominis, in qua post & propter lapsum in omnes P. O. propagatur. Vitio tamen caret hic ejus concursus. Imò ne nuptiis quidem aut conjugio hinc macula ulla; quod adversus Pelagianos ab Augustino aliisque probatum, repetit *Vossius hist. Pelag. L. 2. p. 191. seqq.*

§. 58. Sic olim vigeat in Politia Judaica divortiorum licentia: adeò quidem, ut quacunque de causa (κατὰ πᾶσαν αἰτίαν *Matth. 19, 3.*) uxor libellò repudii datò dimitteretur. Permiserat hanc Moses populo protervz frontis, ἀσπλαγχνῶς τὴν σκληροκαρδίαν, propter duritiem cordis, et si sub certis conditionibus; nullo autem modo mandaverat. Hinc argumentum nascitur à permissione Mosaica ad permissionem Reipublicz in casu necessitatis constitutz. Sicut enim Moses: ita Respubl. minus malum, ad evitandum majus malum permittere potest, ob eundem medium terminum; quia nec Moses nec Respublica aliò modò majus illud evitare valet. Scio quidem varias super hac licentia divortiorum esse Autorum sententias. Nonnulli ex Veteribus apud *Maldonatum in Cap. 19. Matth. p. 407.* putarunt, legem de repudio (*Deuteronom. XXIV. 1.*) latam fuisse sine speciali revelatione & imperio Dei. Hac assertione opus non habent illi, qui in lege matrimonii primitiva dispensatum fuisse divinitus, censent, Deum sc. indissolubilitatem relaxasse & dispensasse in tantum, ut sine peccato matrimonia dirimi & repudia fieri à Judæis potuerint; cujus sententiz Patronos magnò numero vide apud *B. Dorfb. l. c. p. 25.* Nec hæc sententia est improbabilis, factâ hypothesi ad jus primævum divinum positivum referendam esse



conjugii indissolubilitatem; ad quod etiam nonnulli nostratum monogamiam referunt, quos inter est Noster B. *Hulfeman. Brev. C. 21. lb. 8.* Hôc verò positò locum invenisset dispensatio circa indissolubilitatem, xq; ac circa polygamiam Patrum. Nihilominus communissima est sententia, fuisse illam dispensationem de repudii libello meram permissionem rei ex se illicitæ ad majus malum evitandum; notante B. *Dorsch. d. l. p. 26.* ubi prolixissimus extat Catalogus Veterum & recentiorum Scriptorum, qui huic sententiæ subscribunt.

§. 59. In permissione tamen utriusq; mali tam dogmatici quàm moralis, opus est ad gradus attendere utroq; oculò.

Axioma 7.

§. 60. Malum dogmaticum facilius permittitur malò morali. Nam hoc est evidens, seu in re evidente, quæ & ipsius hominis rationalis ductu judicari potest, unde convictionem habet evidentem & facillimam. Itaq; est contra conscientiam. Unde permisso ejusdem à superioribus divinis ordinatis difficulter obtineri debet. Malum autem dogmaticum, h. e. doctrina religionis corrupta, circa rem supernaturalem occupata est, ad quam animus hominis caligat, in qua judicanda per se nihil habet virium, ubi ut plurimum contra conscientiam nemo agit, aut asserit aut negat. Ubi convictio etiam est difficilis, propter maximam proclivitatem humana indolis ad amplectendos errores, in quibus longè etiam ex illa causa pertinacius animi hærent, quàm in veritatis luce. Hic itaq; major permissionis ratio. Ac, etsi etiam malum sit corrupta doctrina, multò tamen plures tolerantiæ causas habet, quàm quodcunq; aliud. Sic B. *Dorsch. AntiCris. Theol. p. 10.* ubi id ex Augustino, & ex Pontificiis κατ' ἀποστολῶν pluribus probat Conf. ib. p. 216. Huc pertinent verba Grotii L. 2. C. 20. n. 47. ex Philone: Religionem suam cuiq; videri optimam, ut quæ plerumq; non ratione sed affectu judicetur; & ex Cicerone per applicationem ad religionem: Nemini ullam disciplinam Philosophia probari præter eam quam ipse sequatur; plerosq; teneri adstrictos, antequam quid ut optimum judicare possent.

§. 61. Sub malo autem dogmatico non includimus Atheos, paganos, blasphemos; sed hæreticos: quò ordine ferè hos locat Grotius, etiam multis inspersis erroribus, L. 2. C. 20. §. 44. seqq.

§. 62.

§. 62. Malum morale, quod permittitur in casu extremæ necessitatis, semper minus debet esse eò reverà ac certissime, quod alias evitari non posset. Ideò hic caute videndum est, an majus malum reverà, permittendo minus, evitetur, & an nulla alia suppetat ratio ad id evitandum. Eleganter id declarari potest disputatione Navarri *Manual. C. 17. num: 195. p. 404.* adversus lupanaria nonnullibi inter Pontificios permessa, *Per hac enim (1.) non evitatur malum; quia (a) multi pueri incipiunt hac occasione prius peccare, quam alioquin inciperent; (b) quod libido non extinguitur, nec refranatur, imò accenditur ejus usu, addidit malè inclinationi sensualitatis habitum malò: quia duo vincula fortiora sunt uno; (c) quod finis pratensus, puta ne honesta sollicitentur, non attingitur. Viri enim prudentes ajunt, eos, qui ad illas sollicitandas sunt apti, non adire meretrices; imò postquam malo sunt eis asueti, tantò magis honestas sollicitant, quo majori impetu natura & vitii feruntur; (d) quod meretrices ipsa, postquam desinunt esse, ad illud turpe lucrum apta, mille malorum instrumenta sunt. Alias verò suppetere rationes, quibus mala evitari possint, adeoq; (2.) alterum requisitum abesse probat (a.) quod castitatis habitu resistendi illi mala inclinationi refranatur illa, non a lupanari; (b) quod marces majori sunt vigore ad resistendum libidini quàm famina, & feminis nunquam hac permissione succurritur; (c.) quòd verum remedium contra libidinem est ardens amor castitatis, vitatio ejus perdenda occasione, vigilantia ad resistendum, conjuncta cum abstinentia, sobrietate, & labore assiduò, & super omnia gratia divina, quorum omnium contraria requirunt lupanaria.*

§. 63. Sic quando consultius esse dicunt, luxum in vestibus &c. permittere tanquam pravalidum & adultum vitium, quàm hoc assequi, ut palam fiat, quibus flagitiis impar sit Magistratus; ex sententia Tiberii apud Tacit. *Annal. L. 3. C. 52.* cogitandum est, annon, sicut corporis morbos veteres & diu auctos per dura & aspera coerces: Sic corruptus simul & corruptor animus, aeger & flagrans, gravioribus remediis restringi possit? ex literis ejusdem Imperatoris, *ibid.*

§. 64. Tandem verò observandum est, Rempubl. in tali casu ipsam quidem non peccare, permittendo malum culpæ; nihilominus illum, cui permissio fit, agendo peccatum com-

mittere. Huic enim impunitas à Magistratu, non impeccabilitas confertur, Politica, non Ethica iustitia. Vid. *Gror. L. 1. C. 1. A. 17. & L. 3. C. 20. n. 43.* Digna sunt verba Celebrissimi Ziegleri in b. l. quibus hoc probemus, sinemq; thesibus imponamus: Christiani Magistratus talia, inquit, mala permittunt, quia tollere sine Reipubl. concussione non possunt, non approbant; non puniunt, ventiquam tamen suadent aut mandant; circumscribunt, limitant, imminuunt, quantum possunt, non tollunt aut ponunt, sed in medio relinquunt. In ejusmodi enim legibus circumscriptivis duo continentur actus: Alter est nuda permissio, quæ actio non est, sed improprie actio dicitur, & hæc objectum immediatum habet malum ipsum, quod nec precipit, nec prohibet Legislator, sed permittit: Et in hoc differt voluntatis objectum ab objecto permissionis. Dum permittit Legislator, permittit immediate malum; dum vero vult permittere, non vult immediate malum, sed vult permissionem mali, quæ in hoc negotio proximum & immediate est objectum voluntatis. Alter actus est ipsa circumscriptio, limitatio & modificatio istius mali, ne ulterius eat, aut alio modo, quam certo illò & determinato, exerceatur. Neuter actus probat, aut fovet malum, neuter id in foro poli seu conscientia licitum facit, sed impunitatem tantum prestat, scilicet intra terminos definitos permanserit malum. Nos optamus, ut Respubl. Christiana talibus necessitatibus urgeatur nunquam ad mala culpæ concedenda, aut, si iis prematur aliquando, uti premitur, his cautelis utatur, ut ne permittendo malum ipsa fiat pessima, aut eligendo bonum negligat Optimum; cui Soli

Sit Laus & Gloria!

XI.

XI.

DISQVISITIO MORALIS

De

PRIMARIA AXIOMATUM JURIS NAT. DIVISIONE IN PHILOSOPHIA CHRISTIANA;

Instituta publicè 26. Januar. A. M DC LXXXIV.

PREFATIO

PRÆSIDIS AD RESPONDENTEM,

CHRISTOPH. GEORGIUM *Steier*

Augustanum, hodiè Philosophiæ Magistrum & SS. Theologiæ Candidatum.

Postquam Hugo Grotius, sui nominis Vir nostræ ælogio major, Jus Naturæ formâ peculiaris disciplinæ habitusq; induere primus incipit; tanti Doctōris & Ductōris exemplo excitati alii, eandem doctrinam magis magisq; perficere, suo quoque loco maximopere allaborarunt. Quamquam enim haud parùm præstitit conatu illò suo Vir summus, adeo, ut *hanc ipsi personam à Deo impositam fuisse ad ornanda ea studia, quæ ab instauratis literis segnis & jejuniis procedebant, non absq; causa paret interpretes ejus doctissimus; aliis tamen, quod emendent aut perficiant, in re tam*

Boetius in
Præfat. Com-
ment. ad Le-
gion.

Cicero in Orat.
pro Milone.

tàm ardua uniusqve hominis viribus longè superiori, omnino reliquit. Quicquid verò à Grotio reliquisqve hîc præstitum fuit, ad ornatum Juris Naturalis, & amplio- rem magisq; accuratam ejus doctrinam referendum est, non ad Jus ipsum, quod non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quod non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus. Hinc intelligis, me inter Doctores hujus Juris minimum, notitiam ejus gentilibus non eripuisse, quando ex notitia de statu hominis integri, eam, in gratiam Christianorum, planiorem pleniorumqve reddere studui; quemadmodum Grotius, & quicumqve post eum novi quid hac in re meditati sunt, similiter non de novo argumento sed augmento ejus & ornamento majori tantum gloriantur. Sola itaq; quæstio est, quis in expolienda Juris Naturalis doctrina rectius processerit, quis felicius? ubi qui dissentimus, omnes, relinquimus omnibus omnino hominibus præcepta ipsa eorumq; usum. Enimverò cum non invitus aliàs cedam unicuiq;, hic morem reum migrare proq; victoria veritatis modestè pugnare, per conscientiam jubeor. De privilegio enim Christianorum agitur, quod culpa mea perdendum non est, nec imminuendum. Vera est observatio Scriptoris celeberrimi: *De primævo hominum statu ab omnibus supponi, cum disquiritur prima origo Juris.* Imò hoc necesse est facere in Jure Naturali, cum eandem, cum Natura ipsa originem habeat, quæ nisi in primævo ac antiquissimo hominum statu non potest inveniri. Hic vero num alius esse potest à statu integro, in quo hominem primum ipse collocavit Creator Deus? Quod dum cognosco, eundem simul hujus Juris Autorem ac proinde (qui finis legis naturalis præcipuus est,) summè honorandum atqve colendum

Gassendus in
Philosoph. Epi-
curi pag. 1528.

lendum esse, clarissime intelligo. Imò ipsa axiomata Juris Naturalis hac via certius addisco tutiusque usurpo, quam si lubrico quodam fundamento, quale falsæ & fictæ hypotheses non possunt non esse, insistere ac incedere vellemus. Quod postremum in primis, Tu, Meiere Præstantissime, hoc specimine Tuo haud vulgari ita deduxisti, ut quod adjiciam, mihi per Te vix sit relictum. Unicam quidem, in hunc finem, tantum distinctionem enucleasti, sed propriam nobis, sed præcipuam inter omnes, quæ quidem Juris Naturalis sunt, in tota Philosophia Christiana; simulandoq; quasi duo hæc ejus elogia solum declarare velles, ita exposuisti ea ipsa, pluraq; notatu digna eleganter inspersisti, ut Te dignum esse, qui propediem Laurea Philosophiæ suprema coroneris, luculentissime comprobaris. Nihil itaque superest, quam ut tibi, disputanti hodiè, mox præmia illa capeissent, acclamem: Feliciter!

TH. I.

Axiomata Juris Naturalis sunt duplicia: Vel enim defamuntur è statu integro formaliter, vel dependent ab eo normaliter tantum. Vide *Comp. J. N. part. I. Cap. I. passim.* Distinctio ipsa.

TH. II.

Inter omnes verò horum Axiomatum distinctiones hæc est præcipua & Christianæ Philosophiæ propria.

TH. III.

Propria; quia præsupponit notitiam status integri, quem gentilis, quatenus talis, prorsus ignorat. Vide *Comp. d. l. p. 29. & seqq. & part. II. præf. p. 7. & 8.* Rectissime recentissimeque Dn. Pufendorfius contra Strimesium: *Naturam hominis primitivè à DEO creatam fuisse integram, & post culpa hominis depravatam, quaestio facti est, de cujus veritate non nisi ex divinarum literarum autoritate constare potest.* I Christianæ Philosophiæ propria.

M. n.

TH. IV.

TH. IV.

Distingvendum tamen hîc est tum inter Axiomata ipsa, & hanc eorum distinctionem; tum inter cognitionem horum Axiomatum, qvoad τὸ ὄν tantum & qvoad τὸ δῖόν simul.

TH. V.

Non qvoad
τὸ ὄν Axiomatum.

Axiomata Juris Naturalis, cujuscunq̄ generis illa sint, cognoscit, certè cognoscere potest omnis homo, sana ratione usus, nimirum qvoad τὸ ὄν, qvòd id, qvòd præcipiunt aut prohibent, faciendum sit aut omittendum: qvem in modum neminem latent illa duo Juris Naturalis præcepta: Et DEO ab omnibus omninò hominibus, & Domino à servis parendum esse; qvorum illud è statu Integritatis desumitur formaliter; hoc ab eodem dependet normaliter tantum.

TH. VI.

Sed r. qvoad
τὸ δῖόν.

Qvoad τὸ δῖόν res aliter se habet; imprimis in iis Axiomatibus, qvz à statu integro normaliter tantum dependent. Gentilis enim, aut etiam Christianus, quando ad statum integrum non respicit, causam, ob quam hunc omninò in modum se gerere debeat, distinctè non agnoscit; qvz ignorantia est τὸ δῖόν.

TH. VII.

Assumamus iterum servum, Hic solam parendi gloriam sibi relictam esse novit quidem, quia Domino se inferiorem esse non ignorat, & Superiori parendum esse coram tribunali conscientie suæ clarissime percipit; quippe qvòd hoc præceptum è statu integro formaliter superfit, & inter principia prima congenita inveniatur. Sed cur in tam abjecto vitæ genere, qvòd servorum proprium est, id facere teneatur, non æque intelligit. Hinc tam frequens servorum inobedientia, imò rebellio adversus Dominos aliquando, in antiquâ præsertim historiâ. Christiano verò ad statum Integritatis respicienti, omnia sunt aut evadunt plana statim atq̄ perspicua. Videt enim se jacturam status integri fecisse, interq̄; pœnas hujus culpæ etiam servitutem esse; *Augustin. de Civ. DEIL. XIX. c. 15.* ideoqve se Domino hodiè non minus quam aliis superioribus (Deo &c.) in statu integro parere debere apprehendit.

TH. JIX

TH. IIX

Inspiciamus etiam Dominum ipsum. Nihil facilius hic, siue gentilis siue Christianus fuerit, cognoscit, quam se servo suo superiore esse, ideoq; ei imperare posse. Nihil verò hâc via facilius etiam est, quam labi in tyrannidem domesticam, adeo quidem, ut jus vitæ & necis, apud moratiores quoque gentes, Domini olim vindicaverint sibi. Hoc præcipitium declinat, quisquis alterò oculo ad statum integrum respicit. DEO enim probisque parentibus (qui tanquam superiores in statu integro certissime extitissent,) se in statu corrupto adjunctum esse videns, eos etiam à se imitandos, adeoque, nisi æquum ac benignum imperium non usurpandum esse, simul intelligit.

TH. IX.

Quæcumq; enim personæ ex hypothesi statûs corrupti introductæ sunt, ex juxta analogiam statûs integri orthodoxè expositi se gerere tenentur. *Comp. Part. I. Cap. I. pag. 57.* Ubi non potest non subsumere se tam Dominus quam servus, inque conclusione suum quoque officium certis limitibus includere.

TH. X.

Similia verò Axiomata, quæ officium normale status integri describunt examussum, tradit Philosophia Christiana tam plenè tamque perspicuè, ut nullus dari aut excogitari possit casus, cui illa non inserviant aut præfint. Vide tum in genere tum in specie de omnibus causis deque adjunctis omnibus adducta & deducta illa in *Comp. part. I. Cap. 1. p. 53. seqq.*

TH. XI.

Consulto autem diximus: *Officium normale status integri per hujusmodi axiomata describi.* Ergò ipsa non sunt præcepta Juris Naturalis, sed horum tantum *negatiua*. Sic illud, quod in Th. IX. modò adduximus, cum ipsum non sit Axioma Juris Naturalis, de hujusmodi tamen axiomatibus (Domino parendum &c.) eorumque vi obligandi nos reddit certiores. Quò observatò, intelligitur facitè, in quo consistat prærogativa Christianæ Philosophiæ hòc locò. Tametsi enim omnis homo talia axiomata Juris Naturalis suò modò novit aut nosse potest; eorundem tamen *negatiua* modò laudata & Christianæ Philosophiæ

propria, haud assequi valet. Hinc illæ tenebræ circa *τὸ δῶν* apud ipsum.

TH. XII.

Hæ verò in ipsam noctem degenerant, si hujusmodi homini, lumine Christianæ Philosophiæ destituto, nostram hanc distinctionem Axiomatum Juris Nat. ejusq; declarationem ante oculos ponamus.

TH. XIII.

2.) Quoad terminos distinctionis.

De distinctione ipsa satis constat. Status enim integer utramq; in eâ paginam facit, aut Logicorum silo, utrumq; membrum dividens constituit, ideoqve, qui hunc ignorat, illam nosse aut intelligere non potest.

TH. XIV.

3.) quoad declarationem distinctionis.

Idem de declaratione hujus distinctionis quoque est verissimum; eaque ita sese habet.

TH. XV.

Axiomata Juris Nat. quæcunque illa fuerint, nos informant partim, quòd & quomodo id, quod reliquum est rectitudinis moralis è statu integro, conservare, partim, quòd & quomodo eundem in moralibus reducere debeamus. Exempla videmus paulò inferiùs in Th. 24. *seqq.*

TH. XVI.

Illæ verò axiomata, quæ nos reliquias status integri conservare jubent, non possunt non de aliquo actionis genere agere, quod in statu integro locum invenisset. Id enim, cujus reliquias hodie conservare debemus, oportet olim adfuisse integrum. Quemadmodum reliqua axiomata, quorum ductu statum integrum reducere tenemur, novum prorsus statuique corrupto proprium actionis genus dirigunt, quod reducendum est ad statum integrum eiqve conformandum. Consule iterum exempla d. l.

TH. XVII.

Hujusmodi verò actiones statui corrupto propriæ sunt omnes illæ, quæ vel culpam, vel pœnam vel casum necessitatis præsupponunt. Homo enim integer (qui nimirum, non quatenus erat talis,) peccare quidem poterat, sed peccato commisso

non

non poterat in statu integro permanere. Hinc nulla actio, quæ culpam sequitur, in eum cadere potuisset; sicut nec pœna, quæ nisi post culpam infligitur. Quomodo verò libertas illius status, cum fuerit tanta, quanta solet esse, cum est maxima, casum necessitatis admisisset? In statu autem corrupto hæc omnia nobis domestica & propè humana sunt, ut nihil humani, hujus etiam generis, à nobis alienum putare possimus.

TH. XVII.

Hinc sponte nobis nascuntur sequentes Aphorismi.

TH. XIX.

PRIMUS è *Tb. XV.* Quæcunque Axiomata Juris N. nos jubent reliquias status integri in moralibus conservare, ea desumuntur ex eodem formaliter.

TH. XX.

SECUNDUS *ex eadem*: Quæcunque Axiomata Jur. N. obligant nos ad reducendum statum integrum in moralibus, ea dependent ab eodem normaliter tantum.

TH. XXI.

TERTIUS è *Tb. XVI.* Quæcunque axiomata Juris N. hominem integrum & corruptum in eodem actionis genere dirigunt, ea desumuntur è statu integro formaliter.

TH. XXII.

QUARTUS *ex eadem*: Quæcunque axiomata Juris Naturalis hominem corruptum in novo actionis genere regunt, ea dependent à statu integro normaliter tantum.

TH. XXIII.

QVINTUS è *Tbes. XVII.* Quæcunque Axiomata Juris Nat. in præcipiendo vel prohibendo culpam aliquam, pœnam aut casum necessitatis præsupponunt, ea à statu integro dependent normaliter tantum.

TH. XXIV.

His ita præmissis utrumque distinctionis membrum exemplis illustrabimus; sèrigentes & conjungentes hâc vice duas trigas, quarum alteram DEUS ipse in S. Scriptura, alteram Imperator in *Instir.* adduxit, & è Jure Naturæ ad verbum repetiit.

Mm 3

TH. XXV.



TH. XXV.

Prior triga: Matth. VII. 12. *Omnia, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, ita & Vos facite illis; Act. V. 29. Obedire oportet Deo magis quam hominibus; Rom. III. 8. Non est faciendum malum, ut eveniat bonum.*

TH. XXVI.

Triga posterior in §. 3. J. de Justitia & Jure: *Juris praecepta sunt haec: honestè vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere.*

TH. XXVII.

Accidit autem his, quod & aliis Axiomatibus Juris Nat. ut quamdiu his verbis generaliter efferuntur, referenda sint ad primum genus, quod axiomata illa, quae è statu integro formaliter desumuntur, in se comprehendit. Hominem enim corruptum & integrum in eodem actionis genere tunc dirigunt, juxta *verripicy* Aphorismi tertii *Tb, XXI.* Quando verò specialiter ad objectum statui corrupto propriè applicantur, tunc nova, quae ex illis fiunt axiomata, normaliter tantum à Statu integro dependent; quod de omnibus sex illis Axiomatibus suo ordine probabimus.

TH. XXVIII.

Primum Axioma Trigæ primæ tum alibi tum maxime in liberalissima bonorum suorum communicatione observassent homines integri, si diutius in felicitate sua perstitissent, & multiplicati fuissent. Idem & nos hodiè imitari ac pro modulo fortunæ facere debemus. Uti nam verò, juxta secundum, Adamus DEO magis quam Evæ aurem præbisset, & secundum tertium, ambo malum in comedendo vetito fructu non fecissent, ut eveniret bonum, ambitiosè affectata Deitas sed frustra. Quod si verò primum axioma de afflicto homine intelligas, cui benefacere debeo, quia volo, ut mihi hoc in casu benefiat; Item, si secundum de heterodexo & Tyrannico Magistratu accipias, cujus injusta jussa mandatis divinis postponere teneor; Item, si tertium de Apostasia, ne inter exquisitissimos quidem cruciatus committenda, interpreteris, solum statum corruptum, nova illa quae sic gignuntur, axiomata spectabunt; quia in omnibus tribus casibus hominem afflicto, inque eo malum ponæ, in affli-

gen-

gente verò malum culpæ invenio ; juxta *κρίτηρια* in Th. XXIII. expressa.

TH. XXIX.

Primum Axioma secundæ Trigæ requirit omninò in utroque statu honestam vitam ; ad quam etiam pertinet ; ut, juxta secundum, neminem lædam ; secundum tertium, suum cuique tribuam. Utinam verò hoc, ceu potuissent & debuissent, Protoplasti Nostri observassent ! sic contra secundum, DEUM non læsissent, potius juxta tertium, honorem ipsi suum tribuissent. Quando verò honesta vita pœnitentiam, dictante Jure Nat. debet sequi, quando afflicto non est addenda afflictio, nec ille ulterius lædendus ; quando fur restituere ac tribuere alteri debet suum ; in primo & tertio hujusmodi Axiomate speciali malum culpæ, sicut in secundo malum pœnæ præsupponitur ; juxta *κρίτηρια* in Th. XXIII. indicata.

TH. XXX.

Vides autem, in tota hac declaratione distinctionis nostræ ad statum integrum ubique respici ; unde & eam à nobis Christianæ Philosophiæ jure meritoque vindicari & tanquam propriam soli tribui, simul intelligis. Restat, ut eandem etiam inter omnes Axiomatum Juris Nat. distinctiones præcipuam esse, breviter ostendamus. II. Præcipua.

TH. XXXI.

Eminet autem suo merito præ reliquis omnibus, sive in seipsâ sive in usu suo spectetur ; tantum abest, ut aliquam agnoscat superiorem.

TH. XXXII.

Sunt autem distinctiones illæ, quibus hæc nostra præferatur, dux ; *Prima* : in Axiomata affirmativa sive præcipientia, & negativa sive vetantia ; *Secunda* : in primaria & secundaria. Vid. *Comp. Part. I. Cap. I. p. 48. seqq. item p. 61. & 62.*

TH. XXXIII.

Nota verò, has postponi à nobis non tanquam vitiosas rectæ, cum & ipsæ sint rectissimæ ; sed tanquam bonas meliori. Bono enim, hoc etiam loco, juxta *παλῶν ἀλλήλων* illud, dari potest melius.

TH. XXXIV.

TH. XXXIV.

1) in se.

Melior autem est Nostra, si i.) in se & natura sua consideretur. Continet enim imò exprimit ipsum fontem Juris Naturalis, Status nimirum integritatis, è quo illud in nos profuxit, imò ad invicem omnes actiones nostras, tanquam ad normam, referre & deducere debemus. Distinctio verò in Axiomata affirmativa & negativa desumpta est tantum ab affectione quadam Logica, quam cum omnibus propositionibus, etiam illis, quæ de rebus infinitæ sortis, imò de Non-Entibus formantur, habet communem. Unde & Altera in Axiomata primaria & secundaria, plus habet in recessu; quæ videtur à proprietate quadam morali; quatenus unum axioma majus, alterum minus commodum, unum salutem plurimum, alterum unius aut paucorum respicit; ideoque quando concurrunt, hoc illi merito postponitur, indeque secundarium, alterum verò primarium jure suo appellatur. Status tamen integer in hac quoque distinctione ne attingitur quidem, tantum abest, ut exprimat; idque cum in sola Nostra fiat, sola quoque principatum tenet.

TH. XXXV.

2) in usus suo.

De eodem testatur Usus, quem præstat, longè maximus, sive extensivè sive intensivè eum consideremus.

TH. XXXVI.

a) Extensivè.

Extensivè alijs Distinctionibus Nostra est utilior, quia præ illis clarè ac directè nos incitat & instigat ad colendum DEUM. Centies repete distinctionem inter affirmativa & negativa; inter primaria & secundaria Juris Naturalis præcepta, prout illa modò exposita sunt in *Thef. XXXIV*. Te tamen Deo obligatum esse hac viâ non agnosces. Cogita verò vel semel de Nostrâ distinctione, mox in utroque ejus membro statum integrum inque eo imaginem DEI adeoque Deum ipsum, ante oculos habebis, eumque tanquam Autorem Juris Naturalis à Te colendum esse intelliges.

TH. XXXVII.

b) Intensivè.

Intensivè verò usus Nostræ Distinctionis longè major est quam reliquarum: Quia i.) major est stimulus, quem addit nobis ad recuperandam rectitudinem moralem. Fatemur quidem, quan-

quando affirmativa axiomata vocantur aliàs præcipientia, & negativa, vetantia, calcar etiam subdi nobis, ut quod justum atque rectum est, unice sequamur atque exequamur. Sôli tamen Nostræ Distinctioni debemus desiderium recuperandi hodiè bona, quæ olim amisimus. Vetus atque verum verbum est (*Plant. Captiv. Act. I. Sc. 2.*)

*Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.*

Et (in *Rudent. Act. V. Sc. 2.*)

*Pape! divitias tu quidem habuisti luculentas:
Miserum istuc verbum & pessimum est, Habuisse & nihil
habere.*

Cujus miseriz Nostra distinctio nos non tantum admonet, sed & demodò, quo felicitatem pristinam quoad antenus recipere possimus, certiores facit. Hinc illud in nobis desiderium, nunquam satis laudandum, nullibi magis ortum ac repertum. Non enim tantum in spiritualibus, sed & in moralibus efficacissimum est illud Christianorum, ceu vocatur, **NOSCE TE IPSUM**, *Apocalyps. II. 5. Memor esto, unde exideris.*

TH. XXXVIII.

Præterea 2.) Nostra etiam distinctio exhibet nobis Exemplar, quod sequamur, absolutissimum, hominem nimirum integrum; de quo nihil in omnibus reliquis distinctionibus apparet. Quam benè *Plinius! Epistolar. V. 8. Invencio apud Sapientes honestissimum esse Majorum vestigia sequi, si modò recto itinere præcesserint.* Et adhuc melius, haud aliter, ac si unumquemque Nostrum alloqueretur, VIII, 13. *O Te beatum, cui contingit unum atque idem optimum & conjunctissimum Exemplar: qui, denique eum potissimum imitandum habes, cui Natura esse Te simillimum voluit.*

TH. XXXIX.

Omniùm verò maximè 3.) commendanda est nostra Distinctio, quod rigorem Juris Naturalis & exprimit in se & à nobis exigit. Quando de præceptis affirmativis aut præcipientibus, de negativis aut vetantibus, item de primariis & secundariis audis, nondum de indispensabili ac immutabili Juris Nat.

Nn.

obli-

obligatione Tibi constat. Normam verò, quam in Nostra Distinctione expressam invenis, intuens, eamque perfectissimam esse observans, non potes non intelligere, summam etiam à Te perfectionem per Jus Naturæ requiri. Normatum enim nisi cum normâ exactè conveniat, malè formatum est atque corruptum. Hinc rigor Juris Naturalis summus & perpetuus.

TH. XL.

Fatemur quidem, & hunc sapientes nonnullos gentilium aliquatenus agnovisse, qui de statu integro ejusque officio normali nihil noverunt, laudamusque in *Seneca*, quod *Lib. IV. de Benefic. cap. I. ad virtutem interdum sine ulla sanguinis sui parsimonia videntium, ne unquam imperium ejus detestandum esse*, graviter moneat; Sed eò magis dolemus, quod inter Christianos non defint, qui hunc rigorem Juris Nostri non tam ignorant, quam impugnant, cum tamen de eo possint esse certissimi.

TH. XLI.

Inter hos eminet superioris seculi Scriptor Anonymus, qui non erubuit publicè asserere, licitam esse in casu necessitatis contra posteriora octo præcepta Decalogi, primis duobus saltem exceptis, agere, furtum, adulterium & quid non? committere. Ubi imprimis notandum est, quâ occasione hic error pestilentissimus ortum ceperit. Quæstio nimirum illo tempore (circa A. 1549.) movebatur in Ecclesia nostra super Adia phoribus, an in gratiam Imperatoris Pontificii mutationem eorum aut abrogationem insituere possimus nec ne? Negativa erat Orthodoxorum; Affirmativa Adia phoristarum; è quibus Autor ille. Deinde observandum etiam est, eum in gratiam Adia phororum laxasse aut potius rupisse vinculum tot præceptorum Decalogi, adeoque ipsius Juris Naturalis; cum hoc in illo sit repetitum, exceptâ solâ circumstantiâ temporis aut septimi diei in præcepto tertio, quam Jus Naturæ in cultu divino non determinat. Unde constat, errorem non subsistere nec subsistere posse hoc loco ubi inceperit; Sed posito uno absurdo, quod in genere rectissimè affirmavit Aristoteles, hic in specie vel maxime mox plura sequi. In hoc enim omnia præcepta Juris Naturalis

turalis conveniunt, quod sint inmutabilia. Unum igitur si hoc privilegio spoliatur, cur in alterum, imò in reliqua omnia idem non liceat? Refutatus autem est Cyclops ille à Flacio in peculiari libro, & in frontispicio ejus ad Epicuri de grege porcos jure meritoque relatus; cujus exemplo alii cautius mercari discant.

TH. XLII.

Quid autem consilii superest pro nobis, quando secundum rigorem Juris Nat. agere non possumus? Resp. non negandum illum aut evertendum, sed ad DEUM per preces confugiendum esse, ut ex gratia sua, quod commissimus ex imbecillitate humana, condonare velit; quod judicium & consilium est *B. Dorschei in Collegio Decalogico, aut Theologia Morali §. 671. pag. 272.* in specie de illo, qui in extremo necessitatis casu cibum alteri invito eripuit. DEUS enim, qui est Autor tam rigidi juris, simul est Pater misericordiarum; cui jam quoque

Soli sit Laus atque Gloria.

☩(o)☩

N^o 2

XII.

XII.

DISSERTATIO MORALIS

De

**JURIS NATURALIS,
PRÆPOSITIVO, RIGORE
VERISQVE EJUS CAUSIS
IN PHILOSOPHIA
CHRISTIANA;**

Defensa publicè 23. Sept. M DC LXXXII.

PRÆFATIO

PRÆSIDIS AD RESPONDENTEM,

Gotthelf Ehrenreich Beder/Stolpensem,
hodie Philosophiæ Magistrum & SS. Theo-
logiæ Candidatum.

Elix es, Mi BECKERE, qui unô actu gloriam
obsequii prudentiæque hodiè mereris. Post-
quam enim mentem eorum, à quibus ratio
studiorum Tuorum hætenus pendet, nu-
per intellexisti, specimen nimirum progres-
sionum, quas in bonis literis fecisses, publicè, dandum
decenterque offerendum esse; ad parendum Te prom-
ptissimè composuisti, modumque, quem illi, non qui-
dem in Campo Martio, sed quietis Musarum sedibus ve-
litare volebant esse, approbasti. Nec facilè, scio, dabi-
tur,

tur, quide Tua parendi promptitudine dubitare aut in ea desiderare aufit quidquam. Argumentum tamen, quod pugnando defendendum suscepisti, spem speciemque gloriæ, quam ob prudentiam audeo Tibi polliceri, prorsus evertere videtur. Tu enim cum scopum studiorum Tuorum elegeris Theologorum mysteria, quibus, judiciô Taubmanni:

Minor peccandi adest occasio;

quô commodo tuo de Jure, quod vel à Natura vel ab arbitrio Legislatorum derivamus & denominamus, non absque impendio temporis agis? Deceat hæc materia eum, qui aliquando respondere ex Jure suamque huic fortunam committere velit. Tibi verò occinetur illud Satyrici:

Est aliquid, quo tendis, & in quod dirigis arcum,

Sed passim volucres sequeris.

Ast profectô, qui ita sentiunt, Te de Juris Naturalis rigore jam agentem, præter meritum tuum, rigidè tractant nimis. Limitem duorum horum rigorum si cernere cupis, en Tibi ante oculos eum! Justus est Tuus, Tuorum Censuram injustus. Testem illius ipsam laudo dissertationem. Hi verò mitius sentient, suumque errorem agnoscent ipsi, si de argumenti nostri amplitudine methodique, qua usi sumus, sublimitate plenius evadant certiores. Jus Naturæ cum ad eos, qui naturam humanam fatentur inesse sibi, pertineat omnes, maxime tamen doctrina ejus se commendat iis, qui sacrarum literarum studio incumbunt. His enim datum est, penetrare ad scaturiginem usque hujus juris, quam in Christiana nostra Philosophia imaginem DEI esse novimus. Ex hoc fonte, postquam jam olim in medio quatuor limpidissimorum Paradisi fluminum, nostra incuria, potius injuria, exaruit ipse, rivulus ille

adhuc, Dei gratia, derivatur. Cumque nos per totam hanc dissertationem, methodi nimirum meæ memores, eò utroque oculo respexerimus, ratio tractandi ipsa lineam studiorum tuorum deserere aut evertere haud potest. Numero aliàs (præfiscini!) Te inter eos, qui doctrinam meam, de disciplina Juris Naturalis è statu Integritatis deducenda, non minùs callent quàm defendere valent. Nòsti, me quidem sacris doctrinis sacram Scripturam, absque omni raptu, propriam relinquare; mutuo tamen non nihil, quod citra injuriam fieri potest, inde petere. Rides eos, qui cum ipsi fingant, quòd suis opinionibus substernant, fundamentum, me niti revelatione DEI, non ficta sed omni exceptione majori, ægré ferunt. Vides, hinc in studiis Tuis commodum haud exiguum in Te redundare; ideoque ut Tibi ipsi ne desis, sed Tuæ potiùs prudenter faveas utilitati, hoc Tuum domi pertractasti, pertractatum publicè produxisti argumentum. Macte hac prudentia, sed & obedientia, quam Superioribus exhibes, Tua. Nihil reliquum est, quàm ut & ego, quomodo has duas virtutes Tuas jam approbaveris mihi, breviter indicem & indicando laudem. Autor nimirum Tibi fui, ut digerereres dicenda in certa capita, distincteque de rigore ipso, de causis ejus & consequentibus diceres. En, methodicè illud in tribus capitibus præstitisti: prudenter spero, sicut ad nutum meum promptissimè; faxit Deus, ut etiam Feliciter!

C. B. D.

C. B. D.

C A P U T I.

DE RIGORE IPSO.

§. I.

Thesis nostra hæc est: Jus N. jure positivò est rigidius; quam proinde in modum comparatarum propositionum resolvemus.

§. II.

Unius prædicati, quod est rigor, duo sunt subjecta; Jus N. & positivum. Utrumque quidem, cum prædicatum sit accidens, est subjectum tam inhesionis quam prædicationis; alterum tamen magis, alterum minus tale.

§. III.

Magis rigidum est J. N. quod ex hac causa in casu recto effertur.

§. IV.

Jus N. vel est concessivum vel præceptivum. Illud confert facultatem agendi & non-agendi: hoc jubet agere vel non agere; *Comp. J. N. part. I. c. 1. §. 3.*

§. V.

Ex his solum Jus præceptivum est subjectum rigoris nostri; concessivum enim cum plane non præcipiat, quomodo rigidè præciperet? Imò verò non esset Jus concessivum, nisi liberam agendi & non-agendi relinqueret facultatem. *Vid. Proleg. part. II. Comp. J. N. §. 32.* Ex hac causa de solò Jure N. præceptivò, non de concessivo, sequentia omnia sunt intelligenda.

Rigidum est Jus N. non concessivum sed præceptivum.

§. VI.

Minus rigidum est jus positivum; quod in thesi nostra §. 1. ob hanc causam in obliquo casu ponitur.

§. VII.

Jus positivum est vel Divinum vel humanum, prout Legislator vel DEUS est vel homo Humanum vel est civile vel civilius vel strictius: Latius est Jus gentium; strictius, Jus domesticum. *Vid. H. Grotius L. I. de J. B. & P. c. I. §. 13, 14.*

§. VIII.



§. VIII.

Utrumque hoc loco intelligitur, sed secundum diversum rigoris sensum, in quo ille Juri naturali præ jure positivo competit, *Vid. infra §. 18. seqq.*

§. IX.

Rigor h. l. in genere requirit *ἀκριβοδικαίον*, quod omni ex parte, omniqve modo justum est, nullamqve injusti mixturam habet, aut admittit. Quemadmodum enim, secundum rigorem veritatis, indeqve trito in sermone proverbio scapha vocanda est scapha, ficus ficus; ita juxta rigorem Juris N. *quæ juxta sunt, justa, nec non injusta, quæcunque injusta sunt, hic & ubiqve gemium.* Plato in *Minorē*,

§. X.

Hinc nihil ad nos rigor injustus, qui in Jus positivum humanum facile, nullo verò modo in Jus Naturæ cadere potest. Tantum abest, ut quoad hanc rigoris speciem hoc illo sit rigidius. Hujusmodi injusto rigore (*asperitate, χαλεπότης, Plur. in Vita Solon;*) laborârunt olim leges Draconis; nimium enim severe censuit sanxitqve; ideoque impendio leges ejus erant acerbiores; Gellius Noct. Attic. L. XI. c. 18. quas proinde justè non minus quam prudenter Solon abrogavit. Una enim ferè omnibus mors pena definita erat, ut etiam qui otii damnati essent, capite multarentur &c. Ob quam causam illud Demadis laudatur in primis, qui Draconem, non atrociter sed sanguine leges scripsisse dixit. *Plutarch. ibid.* Ejusdem rigoris lex fuit illa, quæ Inter-Rex Romanus tulit, ut dictator, quem vellet civem, indictâ causâ, impunè possit occidere. Quam postquæ allegavit Cicero L. I. de Legib. rationem, ob quam rigor ejus sit improbandus, nostrâ prorsus similem mox subjungit: *Est, inquam, unum jus, quod devincta est hominum societas, & quod lex constituit una. Quæ lex est recta ratio imperandi atq; prohibendi, quam qui ignorat, is est injustus.*

§. XI.

Contrâ, noster rigor est justissimus, & à Jure N. quod unum Jus modò dicebatur Ciceroni, uno eodemqve modo tam intensivè quam extensivè semper & ubiqve adhibetur.

§. XII.

Intensivè; dum ad actionem bonam requirit omnes circum-

& quidem = 2
intensivè.

cumstantias bonas, adeò, ut si vel una ex his aberret, actio ipsa per Jus N. non approbetur sed rejiciatur.

§. XIII.

De circumstantiis notus est vetus versiculus :

Quia, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando
quem allegat *Thomas 1. 2. quæst. 7. art. 3. in c. numerumque* quem comprehendit septenarium, calculò *Aristotelis in Libb. Nicomach.* & *Ciceron. in Libb. Rhetor.* firmat & quasi sacrum facit.

§. XIV.

Ex his circumstantia finis est potissima. Generaliter *Aristoteles L. 1. Oeconomic. c. 1. Cujus unumquodque gratia est & existit, ea illius natura esse solet. Quod* specialiter in moralibus est verissimum. Hinc rectè *Thomas 1. alleg. artic. 4. in corp. Principalissima est omnium circumstantiarum illa, quæ attingit actum ex parte finis, scilicet cujus gratiâ.*

§. XV.

Tametsi verò reliquis circumstantiis hæc est potior, tam quoad se, quam quoad effectum suum, quem in moralibus actionibus exerit; respectu tamen nostræ cognitionis iisdem est occultior. Hinc circumstantias morales distingvimus Nos in latentem & patentes. Latens est circumstantia finis sive intentionis, quam in alio solus *καρδιογνωστης* certò novit Deus. Patentes sunt reliquæ; quippe quod in sensus aliorum hominum, aliæ tamen magis, aliæ minus, incurrant.

§. XVI.

Harum omnium tam latentis, quam patentium circumstantiarum bonitatem exigit Jus Naturæ; eoque ipso rigorem suum adhibet intensivè; *Vid. supra §. 12.* Extensivè id facit, tum ratione objecti, quod habet amplissimum; tum ratione durationis suæ, quam non patitur abrumpi aut mutilari ulla dispensatione aut suspensione. §) Extensivè.

§. XVII.

Objectum nimirum hujus rigoris sunt omnes actiones humanæ tam externæ, quam internæ, modò moralitatis sint capaces: Unde extensio rigoris h. l. tanta, quanta ipsarum actionū humanarum;

narum; Duratio verò, cum express sit omnis interruptionis, extenditur continuè atqve in infinitum.

§. XVIII.

In his omnibus deficit Jus positivum; sed pro varietate sui ipsius variè; quod ex collatione diversarum ejus specierum cum Jure naturali optimè intelligitur.

§. XIX.

Jus positivum divinum non intensivè sed extensivè tantum, minoris est, quam Jus Naturæ, rigoris.

§. XX.

1.) Divinum.

Non intensivè; quia latum est à DEO; qui per omnes leges suas tanquam *καταδιδυκώς*, non minus in intentione quam in reliquis circumstantiis omnibus exactam requirit bonitatem. Imò verò respectu ejus nulla circumstantia est latens, omnes sunt patentés; quas proinde legibus suis eodem etiam modò moderatur. *Sit hoc jam à principio; inquit Cicero L. II. de Legibus. persuasum civibus, ea quæ geruntur, Deorum geri judicio ac numine, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate, religiones colat, intueri, piorumq; & impiorum habere rationem.*

§. XXI.

Extensivè est, tam ratione objecti quam durationis.

§. XXII.

Ratione objecti; quia jus positivum divinum non de omnibus sed quibusdam tantum actionibus nostris disponit; ceu patet.

§. XXIII.

Ratione durationis; quoniam admittit dispensationem. Argumentamur 1.) de lege forensi & ceremoniali, comparate, à minus ad magis: Quodcunque Jus potest abrogari, illud multò magis potest dispensari. Atqui Jus positivum divinum &c. E. Probamus Minorem; Sic lex forensis abrogata fuit, cum *Urbs Hierosolyma excinderetur, & cum ea tum species tum spes. Reipub. concideret.* Ita eleganter *Grotius L.I. de J.B. & P. r.2. §.7.* Ceremonialis desit, veluti umbra, veniente corpore, *Hebr. VIII. v. X.1.* (2. absolutè de lege positiva morali: Lex divina prohibens licentiam divortiorum, fuit dispensata: Lex divina prohibens licentiam

tiam divortiorum fuit divina pōsitiva moralis: E. qvædam lex divina pōsitiva moralis fuit dispensata. Majorem probamus è *Matth. XIX. Minor, post Thomam 1. 2. qv. 102. art. 5. ad 3.* aliosqve Scholasticos & Moralistas non paucos, est *B. Hülsemanni Breviar. cap. XXI. Tb. 8. Confer Compend. J. N. part. 2. pag. 182.* Ut nihil dicamus de prohibitione polygamiz, qvam ad Jus pōsitivum divinum idem refert Theologus cum aliis, indeqve in *V. T. capax fuit dispensationis. Vid. iterum Compend. part. 1. p. 65. & part. II. p. 173.*

§. XXIV.

Jus omne pōsitivum humanum tam intensivè quam ^{2.) humanum} extensivè minoris est, quam Jus N. rigoris. Amplissima hæc est assertio, complexa non tantum omne Jus pōsitivum humanum, sed & omnes rigoris species, in quibus remissio aliqua fieri potest. Nec tamen in genere opus est proluxa probatione. Certum enim est, illud intensivè deficere, cum latum sit ab hominibus, qui solas circumstantias patentes cognoscendo per eunt; indeqve solis etiam illis, si bonæ fuerint, contentum sit, ulteriore autem latentemqve in intentione bonitatem Deo, ejusqve juribus pōsitivis & Naturalibus exigendam relinquit. Indifferentes verò actiones cum unice dirigat, ipsumqve ex arbitrio Legislatoris sui dispensari, mutari, abrogari possit, extensivè quoqve tam ratione objecti, quam durationis cum Jure N. haud paria facere potest.

§. XXV.

Magna profecto claraqve hæc sunt indicia minoris in Jure pōsitivo humano rigoris; aliud tamen idqve præcipuum in eo consistit, quod nonnunquam eandem rem aut actionem, quam J. N. præcipit aut prohibet, jus pōsitivum humanum aliter fieri permittat, nec tamen habeatur pro injusto. Cum autem à rigore Juris naturæ jus pōsitivum humanum haud possit abire magis, digna hæc est observatio, quam exemplis declaremus. Ea verò cum sint varia & multa, nos pauca tantum feligemus, quorum aliqua ad Rempublicam vel pacis vel belli tempore, aliqua ad societates simplices pertinebunt; quædam à Jure Gentium, quædam à civili leniter ac remissè, omnia verò à Jure N. rigidè tractabuntur.

Exempla e Re-
publica) tem-
pore Pacis,

§. XXVI.

Inter tranquillos acqvirendi modos ex inſtituto quarundam gentium recipiuntur incrementa ex alluvione; *H. Grotius L. II. c. 8. §. 8. Jure Naturæ teneor ego, qvi commodum inde percipio, alteri, qvi damnum patitur, ſatisfacere. Hominem enim, inquit Cicero III. Officior. hominis incommodo ſuum augere commodum, eſt contra naturam*: Eundem tamen in modum Jure civili diſſimulatur in contractu tolerabilis (qvæ non ſit ultra dimidium,) inæqvilitas; Jure N. nulla. Nemo enim, ſecundum hujus rigorem, ulla ex parte aut ullo modo eſt lædendus.

§. XXVII.

Inter media tranquilla juſtè continuandi dominium, jure Gentium, vel primo loco ponitur Præſcriptio. De publico dominio *Philippus ad T. Quintium apud Livium L. 32. Civitates quas ipſe cepi, præſidiis liberabo; qua mihi tradita, à Majoribus juſta ac hæreditaria poſſeſſione, iis non excedam. De privato Cicero L. II. Offic. Quam habet æqvitatem, ut agrum multis annis aut etiam ſeculis ante poſſeſſum, qui habuit, amittat? Nihil roboris relinquit tempori rigor Juris Naturalis. Verè Grotius L. 2. de J. B. & P. c. 4. §. 1. Tempus ex ſua ipſe natura vim nullam effectricem habet: nihil enim ſit a tempore, quanquam nihil non ſit in tempore. Semel hîc injuſtum, nunquam evadit juſtum. Imò verò Rigor ille poſcit, ut de uſufructu Domino rei, ad quem ſpectat, ſatisfiat, & eò quidem magis, qvò gravius eſt damnum, qvò ille longo tempore, decurrente ampliffimo præſcriptionis ſpatio, percepit. Univerſaliſſimum enim rigidiffimumqve eſt ejus Axioma: Suum cuiqve tribuendum.*

§. XXVIII.

Juxta rigorem Juris naturalis pœna non minùs ac culpa eſt perſonalis. Malum enim pœnæ, niſi poſt malum culpæ, non poteſt inſigi. Jure poſitivo humano crimen lælæ Majeſtatis à parentibus commiſſum luunt etiam liberi. Hodie tamen ob noxam unius, qvi in Regem deliquit, non omnis propinqvitas perit; eoqve abrogata eſt Perſarum lex qvæ *Ammiano Marcell. L. 23. intercas, qua diritate omnes leges ſuperant, abominanda merito dicitur,*

§. XXIX.

§. XXIX.

Anteqvam bellum geratur, haud raro Repressalia, ad instar prodromorum praemittuntur. Hæ verò nihil aliud sunt, quam violentiæ illæ inter populos diversos pignorationes, quibus per invasionem bonorum quorumcunque, à Magistratu justitiam, hæctenus denegatam extorquere aut damnum utcunque resarcire satagunt. *Vid. H. Gros. L. 3. c. 2. §. 2.* Nituntur hæ jure Gentium; sed Juri N. approbari nequeunt. Nemo enim sub ullo pretextu est lædendus. Nec facienda sunt mala, ut eveniant bona; qui Juris N. canon ab ipso Spiritu S. repetitur, *Rom. III. 8.*

b) tempore Belli.

§. XXX.

Juris Naturalis rigor non permittit, ut in extremo necessitatis casu manum meam in rem alienam, invito Domino, immittam, ejusque usu vitam meam liberem. Axioma enim ejus: Vita est conservanda; est inferius illo altero: A vitis est abstinendum. Illius igitur tanquam inferioris obligatio, in gratiam hujus tanquam superioris in hoc casu suspenditur. *Vid. Compend. part. 2. proleg. p. 25. 26.* Recte *Seneca L. IV. de benef. c. I. Ad virtutem interdum sine ulla sanguinis sui parsimonia vadendum est, nec unquam imperium ejus detrectandum.* Jure verò Gentium licet occupare, tempore vel imminentis vel jam ardentis belli, urbem in non hostili locò; & quidem ex solo metu damni, quod inde, nisi per me antevertendo everteretur, inferri posset. *Vid. Gros. L. II. c. 2. §. 10. L. III. c. 1. §. 2.* Quod si verò ex metu hoc licet; quid in extremo necessitatis casu licitum erit? Sed talia numerò non pauca nec pondere exigua, quæ contra rigorem Juris N. prohibitivi in bello permittit Jus Gentium, prolixè integris sex capitibus Idem *L. 3. à c. 4. usq; ad 10.* exponit, sed & in totidem capitibus *ab 11. usq; ad 17.* ex æquitate naturali temperat; quem vide.

§. XXXI.

In societate nuptiali rigidè requirit Jus N. ut observetur finis ejus primarius, qui est multiplicatio & conservatio generis humani per generationem. Hinc Jure N. conjugium inter juvenem & vetulam non est licitum. Inde est, quod *Viris juvenibus vetulas nubentes nemo non vituperet, saltem apud animum suum;* observante *Coccejo Tom. VI. Oper. in Consiliis p. 27.* Acuta verò

E tribus societatibus simplicibus.

sed & accurata est ratio, quam subjungit: *Si in conjugio inquis, facundo συζύγιον est, in his plus quam συζύγιον est.* Jure vero positivo humano conjugia hujusmodi concedi, quid notius est & tritius? In eadem societate pro defensione thalami aut pudicitiae uxoris non licet jure N. ad homicidium usque progredi, cum minus bonum in me non liceat defendere cum jacturâ majoris boni in altero. Rectè Augustinus de doctr. Christian. L. 1. c. 26. *Integer rerum aestimator est, qui ordinatam dilectionem habet, ne amplius diligat, quod minus est diligendum.* Jure positivo id facere licet. In adulterio enim uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impunè necares: quam legem è Catone recitat Gellius Noct. Atticar. L. X. c. 23. hodiè nondum apud omnes antiquatam. Exemplum illustre vide apud Gramondum Histor. Gall. L. II. p. 141. edit Amstelod. de Reynesio Gallo, qui A. 1616. *Regiò diplomate liberatus fuit (quam crudeli ex facto; uti censet & loquitur Historicus,) postquam uxorem suam & adulterum ἐπ' αὐτοφώγου deprehendisset & interfecisset.*

§. XXXII.

In societate paternâ Rigor J. N. haud admittit abdicacionem, quâ liberi domo paterna, privata autoritate, excluduntur; cum id sit contra debitum Parentum. Valet enim & hic illud *Plinii in Panegyri. Vis lexq; Natura semper in ditione Parentum esse liberos jussit, nec uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit.* Quid verò eâ inter Græcos olim & Romanos, usitatius?

§. XXXIII.

Finiamus in societate Herili, tanquam omnium infimâ. Rigor J. N. hîc non admittit aliam servitutem, quam quæ summâ nitatur æquitate, ita ut nihil faciendum sit à servo, quod Dominus benefaciendo non mereatur. *Sic cum inferiore, inquit Seneca in Epist. 47. in gratiam servorum, vivas, quem admodum tu cum superiore velis vivere.* Neq; aliud quidem onus hodiernæ nostræ leges servis imponunt. Olim autem non erat sic. Ut enim nihil dicamus de servitute rigidissima, quæ Jus vitæ & necis tribuit Dominis in servos, & apud Gentiles valde fuit usitata; rigida tamen

tamen servitus, in quâ personas & bona subditorum possident Domini, sub Christianis Imperatoribus usque ad tempora Frederic. II. seculô currente XIII. tolerata & approbata fuit. *Vid. Comp. part. 2 p. 203.*

CAPUT II. DE CAUSIS HUIUS RIGORIS,

§. I.

Diximus §. 25. *cap. 1.* diversos gradus rigoris, qui in Jure N. major sit, in positivô minor, in eô conspici maximè, quod nonnunquam eandem rem aut actionem, quam J. N. præcipit aut prohibet, Jus positivum humanum aliter fieri permittat. Ubi enim hoc minùs rigidum esse posset, quàm ubi rigorem illius negligit prorsus aut transilit? Rectè igitur fecerimus, si de hujusmodi etiam casibus, in causis illius diversitatis investigandis, ante omnia simus solliciti.

§. II.

Quatuor esse causas, est notissimum. A forma nihil subfidii hic est expectandum. Hæc enim nihil est aliud in lege, quam modus præcipiendi aut prohibendi, rigidus aut remissus, qui hoc loco est *κρίσιμον*. Nec ad materiam circa quam sive objectum confugere possumus. Tametsi enim illud, in Jure N. & positivo accuratè discernendo, maximi aliàs est ponderis, cum ad illud, quæ bona moraliter aut mala sunt, unicè pertineant; ad hoc autem ea, qui indifferentia vocamus, propriè referantur: hoc tamen loco discrimen indè petere non possumus, ubi idem utriusque Juris sit objectum, per *μεταβασι* nimirum statui corrupto propriam, quam in eo Jus positivum subindè non absq̃ causâ facit: ceu ex sequentibus patebit.

De causis
1.) καὶ ἀπο...

§. III.

Ratio itaque hujus diversitatis unicè jam quærenda est in causâ finali & efficiente,

§. IV.

§. IV.

II.) *vera dicitur*
I.) *in Jure N.*

Incipiamus à fine: Jus N. partim vult reducere statum integritatis, partim reliquias ejus conservare; quoad illam nimirum rectitudinem, quæ viribus humanis non est superior; & moralis, ut à physicâ & hyperphysica, quas homo integer habuit omnes, discerni possit, vulgò vocatur. *Vide Compend. J. N. passim; imprimis part. 1. cap. 1.*

§. V.

Hinc argumentamur: Quodcunque jus requirit rectitudinem statûs integri in moralibus, ab eò non potest non *ἀνεξέβητος* requiri: Atqui J. N. & c. E. Major est clara: Nihil enim, nisi quod rectissimum, in statu illo locum invenisset.

§. VI.

Facile est, aptare hanc causam rigoris omnibus illis exemplis, quæ *cap. 1. §. 26. seqq.* in medium attulimus.

§. VII.

Homo integer 1.) suum cuique tribuisset; hinc exigit Jus N. §. 26. ut incrementa ex alluvione, alteri tanquam sua restitutam, si non in natura, aliò tamen æquipollente modò; it. §. 27. ut alteri suum tribuere, sub præscriptionis titulo, ne recusem. Idem homo integer 2.) neminem læsisset; hinc requirit Jus N. §. 28. ut innocentem per pœnas, & §. 29. subditos alterius per repressalias, & §. 30. Dominum alicujus rei per raptum ejus, & §. 32. liberos per abdicationem, & §. 32. servos per iniquum imperium ne lædam. Idem homo integer 3.) honeste vixisset: hinc postulat Jus N. §. 31. ut societas conjugalis honestè ineatur & colatur; quod ab Eunucho, qui finem primum ne intendere quidem, & præterea (qui aliàs est finis secundarius statui corrupto proprius,) non remedium sed medium qualecunque libidinis tantum obrinere possunt, haud fieri potest. Ex hoc fundamento rectè contra nuptias Eunuchorum *Coccejus dicto loco: Honestatis, inquit, legi non possumus, non audemus adversari. Honorata nuptia: ne igitur nuptia dicatur conjunctio corporum, quæ honore caret; sed potius ad alteram classem redigatur, quæ est abusus corporis & sui & alieni. Quæ eadem ratione aut non valdè simili applicari possunt ad conjugium vetulæ cum juvene, cujus mentionem cap. 1. §. 31. fecimus,*

§. VIII.

§. VII.

Optandum esset, ut Jus positivum humanum eandem lineam servare, nostrasque actiones omnes ad eundem integritatis statum dirigere posset. Simile quid in legibus hominum justis jam olim gentilis requisivit Cicero Lib. II. de legibus: *Est lex justorum, inquit, in justorumque distinctio ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressam naturam, ad quam leges hominum diriguntur, qui supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.* 2) In Jure Posit. Hum. Verum enim verò, cum huic Juri satis sit, prospicere, ne status corruptus magis magisque corrumpatur; ad declinanda ejus incommoda à rigore Juris N. non rarò recedit. *Quod si primi homines, inquit, plane ad mentem nostram Conringius diss. de Oligarchia §. 34. peccato se non contaminassent, ne quidem illa, quæ natura consulit, transgressi fuissent; jam autem sæpè transgrediuntur, imò majorum malorum vitandorum causâ coguntur transgredi, ac proinde à lapsu illo emerfit novum aliquod Jus Gentium supra moribus & malitia hominum ita fundatum, ut ex duobus malis semper minus eligat.* Quod si verò Jus G. tantæ est indulgentiæ; cur civile majoris sit rigoris?

§. IX.

Hanc verò causam ad omnia iterum exempla, quæ cap. 1. §. 26. seqq. proposuimus, absque difficultate applicare possumus.

§. X.

Nihil 1.) ad statum corruptum magis corrumpendum aptius & validius est dissidiis, quæ omnium societatum pestes sunt meritoque dicuntur. Illa verò ut declinentur, incrementa ex alluvione §. 26. à jure positivo humano rata habentur, & ufucapio aut præscriptio, nec non tolerabilis in contractu inæqualitas §. 27. probatur.

§. XI.

Nihil 2.) in statu corrupto quietem turbat magis, quam metus imminenti mali. Hinc §. 28. perduellium liberi in societatem pœnæ pertracti, ne ad parentum exemplum succrescant; sicuti

Pp

de

de Maratocuprenorum parvâ sobole tum cum parentibus deleta loquitur *Ammianus Marcellinus* L. 28. Ex eadem causa indultæ §. 29. Repressaliæ. *Magna enim aliqvi daretur injuriis faciendis licentia, cum bona imperantium sapere non tam facile possunt in manus venire, quam privatorum, qui plures suos; Gros. L. III. c. 2. §. 2.* Item ob hanc rationem permisa alienæ occupatio urbis §. 30. si ab hoste non inanis fuerit metus de præventionem. Imò verò metu incommodorum, quæ senibus utriusque sexus sunt in vitâ solitaria familiaria, toleratum non tantum senis cum juvencula, sed & vetulæ cum juvene conjugium §. 31.

§. XII.

In statu corrupto 3.) affectibus eorundemque vehementiæ aliquid dandum fuit. Hinc ex justo maximoque dolore §. 31. licuit adulterum in ipso facto deprehensum interficere.

§. XIII.

Tandem in statu corrupto 4.) favendum est superioribus, ut eo facilius bonum ordinem, ipsorum beneficio, conservemus. Hinc Parentibus §. 32. in liberos, Dominis §. 33. in servos, utrisque tanquam superioribus multum imò verò nimium, fuit indultum; unde mores nostros, quibus aliud hodiè receptum est, laudavimus d. l.

§. XIV.

Nempè tantum, ubi necessitas aut minimum utilitas certa atque magna adest, non pro injustis omninò habendi sunt Legislatores humani, si in juribus suis fortissimarum illarum pervasionum hubeant rationem. Quamquam & hic rectius faciunt, si prius tentent omnia, ut à rigore Juris N. secedere ne habeant necesse. Ex hac causa, si quisquam, *jure laudatur Aratus Sicyoniæ, qui cum ejus civitas quinquaginta annos à tyrannia teneretur, profectus Argis Sicyonem, clandestino introitu urbe est positus: cumque tyrannum Nicoclem improvisò oppressisset, sexcentos exules, qui fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit: Remque publ. adventu suo liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis & possessoribus difficultatem, quod & eos quos ipse restituerat, quorum bo-*

„ na alii possederant, egre iniquissimum arbitrabatur, & quinquaginta annorum possessiones mouere, non nimis equum putabat; propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus detinebantur sine injuria: judicavit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur statuisset opus esse ad eam rem constituendam pecuniã, Alexandriae se proficisci velle dixit, remque integram ad reditum suum iussit esse: isque celeriter ad Ptolemaeum, suum hospitem venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam: cui cum exposuisset patriam se liberare velle, causamque docuisset, à rege opulento vir summus facile impetravit, ut grandi pecunia adjuuaretur, quam cum in Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim Principes, cum quibus causas cognovit, & eorum, qui aliena detinebant, & eorum, qui sua amiserant; perfecitque aestimandis possessionibus, ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallet, & possessionibus cederent; aliis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes constituta concordia sine querela discederent. Quod Exemplum, quo rarius nostroque monito aptius, eò dignius fuit, quod hic plenissimè legeretur, & quidem à Cicerone L. II. Offic. prope finem descriptum, qui ut indicaret, quo loco illud haberet, mox subjungit: *O virum magnum, dignumque, qui in nostra Rep. natus esset!*

S. XV.

Ab his autem diversis finibus, quos Jus N. & positivum humanum habent præfixos, illud etiam discrimen rigidum, quod extensivè tale esse §. 16. seqq. c. 1. diximus, manifestè dependet. Cum enim à Jure N. intendatur recuperatio rectitudinis pristinae, rigor ejus respectu objecti valdè extenditur, eadem nimirum, quã sphaera actionum nostrarum moralium omnium, amplitudine; & cum rectitudo illa, quam intendit, sit immutabilis, non potest non Jus N. ipsum, ratione durationis, immutabile esse. In omnia alia abit Jus positivum humanum; quippe quod actiones illas, quas moderatur, à commodis & incommodis

modis publicis pendeant, quæ nec universalialia nec perpetua sunt, ideoque rigorem ejus tam ratione objecti quam durationis extensive faciunt minorem.

§. XVI.

Finis aliàs Reipublicæ, secundum Aristotelem, duplex est, beatitudo (*εὐδαιμονία*) & sufficientia (*ἀυτάρχεια*.) *Vid. L. I. Politic. c. 2. III. 9. &c.* Mirum verò est, quam apte suos proprios fines hisce Reipublicæ finibus nostra conforment jura. Jus nimirum Naturæ ad rectitudinem statûs integri tendens, non potest non beatitudinem intendere; idque dum facit, tam intensive, quam extensive dictis modis evadit rigidum. Jus verò positivum humanum subsistens in statu corrupto, *ἀυτάρχειαν* huic conciliare annitur, inque ejus gratiam à rigore Juris Naturalis tam intensive quam extensive recedit. Sed de fine satis.

§. XVII.

Eadem verò rigoris diversitas etiam è diversitate causarum efficientium deduci potest.

§. XVIII.

Juris N. causa efficiens est Deus. *Ille legis hujus inventor, disceptator, lator; Cicero de Republ. L. III. apud Eufant. L. VI. c. 8.* De modo, quo pendeat hæc lex ab illò, dictum est alibi. *Vid. Comp. Part. I. c. 3 totum.* Atque in hoc cum Jure N. unius est conditionis Jus positivum Divinum.

§. XIX.

Juris positivi humani Autores sunt homines; gentes, saltem moratiores, illius, quod ab ipsis nomen accepit, & gentium esse dicitur; Magistratus verò, ejus, quod civibus suis præscripserunt & civile ab iis vocatur. De domesticò parum sumus solliciti: ejusque conditores nulla domus & casa nescit.

§. XX.

Jus itaque naturale, quia Autorem habet Deum, non minus ac jura Divina omnia, requirit, ut actiones nostræ tam internæ quam externæ valeant in ipso foro Divino, & hoc propter in foro etiam interno coram tribunali conscientie uniuscujusque hominis; quippe quod hoc illius quasi vestibulum esse videatur. Jus verò

verò positivum humanum satis habet, si in suo, id est, humano foro, in quo suos habet natales, externæ actiones nostræ probentur.

§. XXI.

Hinc verò minor in Jure positivo humano rigor; *extensivè*; quia contentus est actionibus externis bonis; *intensivè*, quia ad hujusmodi bonitatem sufficiunt circumstantiæ patentibus bonæ. Indè rigor quoque in Jure N. longè major; *extensivè*, cum interiores etiam actiones ipsæque cogitationes huic subsint; *intensivè*, quoniam latentis non minus, quam patentium circumstantiarum rectitudinem requirit. Quadrat huc illud Ciceronis *L. l. Officior. Honestum id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura & cogitatione.* Deindè verò omnia facta distaque inter se congruere ac respondere sibi & una forma percussa esse debent. *Non est hujusmodi animus, in recto, cujus acta discordant.* Senec. Epist. 34.

CAPUT III.
DE CONSEQUENTIBUS.

§. I.

PER consequentia hic intelligimus cum Logicis ea, quæ ex antecedentibus ratione attributionis necessario sequuntur. Talia vero jam exhibebimus **Q**uinque, tanquam præcipua, sed brevibus; tum quod natura suâ, quia & quatenus sunt consequentia, in antecedentibus suis satis clarè inveniuntur, tum quod alibi jam à nobis sint deducta.

§. II.

Consequens primum: **Q**uoniam Jus N. primariò inten- Conseq. 1.
P P 3 dat

dat recuperationem status integri quoad rectitudinem moralem, supra in c. 1. passim: primario id non tendit ad socialitatem *Vid. Comp. J. N. part. 1. pref. p. 8. &c.* Faciat id Jus positivum humanum tam gentium quam civile, imò verò etiam domesticum, quibus res est omnino cum societatibus, singulis nimirum cum suis. Jus N. non tantum antrorsum ad id, quod ante oculos habet, sed & retrorsum, ad statum nimirum Integritatis tanquam normam respicit.

§. III.

Conseq. 2.

Consequens secundum: Quum Jus N. primario intendat *εὐδαιμονίαν* (beatitudinem civil.) in omnib. hominib.; supra c. 2. § 16. non potest primario intendere *εὐτυχίαν* (felicitatem, qua sibi ipsi quis sufficit) in societatibus. *Vid. Comp. J. N. part. I. c. I. p. 71. &c.* Juris positivi humani hoc iterum fit, ut ad commoda societatum promovenda, & ad incommoda declinanda in primis dirigatur. Jus N. ultra hæc inferiora bona ad ipsum S. B. nos perducit.

§. IV.

Conseq. 3.

Consequens tertium: Cum Jus N. actiones morales, inter quas actiones interiores præcipue, moderetur; *supr. c. 1. §. 17.* non potest magna ex parte dirigere tantum actiones exteriores. *Vid. Comp. J. N. part. I. c. 1. p. 47. &c.* Hæreat in cortice, quod est, in exterioribus Jus positiv. humanum; Jus N. dum interiora dirigit, penetrat in nucleum ipsum.

§. V.

Conseq. 4.

Consequens quartum: Cum Jus N. actiones interiores in primis, *supr. c. 1. §. eod.* regat, non potest objectum ejus adæquatum esse socialitas humana, quæ in actionibus externis, earumque bonitate acquiescit. *Vid. Comp. J. N. part. 1. pref. p. 8. &c.* Hæc iterum fit cura Juris positivi humani; Jus N. domi quoque & ubi neminem nobiscum habemus, in nobis ipsis invenimus. Omnia (ejus axiomata) nobiscum portamus.

§. VI

Consequens quintum: Cum ex nostrâ hypothesi, de disciplina Juris N. è notitia de statu Integritatis apud Christianos deducenda, Jus N. I.) tendat primario ad recuperationem status integri quoad rectitudinem moralem, *juxta Consequens primum §. 2.* Ideoque intendat etiam 2.) principaliter ἐνδομοίως in omnibus, *juxta Consequens secundum §. 3.* Et 2.) ex hac causâ omnes actiones morales, imprimis autem interiores moderetur & perficiat, *secundum Consequens tertium §. 4.* Hoc autem 3.) non tantum socialitatem humanam sed humanitatem totam, in quocunqve statu & quocunqve locò illa inveniatur, objectum Juris N. faciat, *secundum Consequens quartum*; videtur aliorum opinionibus hæc sententia nostra non postponenda, sed præferenda esse. Vid. *Paranesin ad Studiosam Juvent. supra pag. 170. seqq.* Quod tamen adjicere voluimus, non ut nostro honori, sed Dei, cujus lex est Jus Naturæ, studeamus; cui etiam proinde nunc & semper fit

LAUS ATQVE GLORIA:



